STEPHANI CURCELLÆI

Synopsis Ethices.

Tractatus Lectu dignissimus.

Editio secunda, priori (quoad Capitum summaria) auctior, & longè emendatior.

Accessit *HENRICI JENKESII Cantabrigiensis* Præfatio, De Naturâ & Constitutione Ethicæ, præsertim Christianæ; ejusque usu & studio.

LONDINI:

Excudebat *M. C.* sumptibus *H. Dickinson*, Bibliopolæ *Cantabrig.* 1684.

Synopsis Hicks

Edito Gravida, prior Cruda Corpus
firmante) autem & longe
emigrante.

Acerbi HENRICI JANKENII
Cantabrigiensis Medici, De Natura &
Cognitione Morbi, variorum Cura-
tiana, explicatio vis & ritus.

H. J.

C.

Præfatio de Naturâ & Constitutione Ethicæ, præsertim Christianæ; ejusque Usu & Studio.

SAlve Lector amice. Si rogas Quid sit Ethica? Responsum habe; Est Ars sive scientia, quæ tradit rationem Benè Beatéque vivendi; siquidem præceptis suis vitam Hominis instituit, & formar; Præmiis verò suis amplissimis, Eundem Hominem, jam benè moratum, vitâ Beatâ donat, ditat, & adauget; quæ certè cùm utramque paginam Vitæ Humanæ impleant, nulla Ars, nullave Scientia Ethicâ hâc in parte anteferenda est, quoniam utrumque horum cumulatissimè præstat. I. *Quid Ethica.*

Sed scire aves præterea; Quid Ethica Christiana sit? Paucis; est eadem illa divina Ars sive Scientia, II. *Quid Ethica Christiana.*

quæ Documentis & Præceptis sublimioribus vitam Hominis uberiùs Gubernat, Instituit & Regit, eandemq; sub spe Divinæ remunerationis sempiternâ felicitate & Beatitudine consummat & perficit.

III. Stephani Curcellæi brevis Synopsis Ethicæ Christianæ, ejusdemque Constitutio.

Quam, siquis Alius, meherclè *Stephanus Curcellæus, ὁ μακαρίτης*, tam perspicuè & ad vivum exposuit in tractatu hocce suo, auro quidem contrà æstimando; ut eo nomine, ausim Tyronibus Academicis, Synopsin ejus Ethicæ Christianæ de meliori Notâ commendare. Nihil sanè in eâ reperies, quod non accuratissimè sit digestum, ad Leges immotas methodi unicæ; à Generalibus ad Specialissima; Ab Aretologiâ initium ducit; nec sine Ratione; cum Princeps, primave ejus Pars sit; in quâ pertractandâ, Actionum Moralium Naturam, quoad principia & Species earum, detegit & dilucidè explicat. Deinde affectus in genere moris describit, inque suas Species distinguit & distribuit;

buit; Leges quoque ad quas Virtus exigenda est, & secundùm quas vivendum sit Homini, clarè & distinctè exponit. Tandem de ipsâ Virtute incipit differere; Sapienter & Præclarè. Primùm in Genere, ubi Naturam ejus definit, à Genere & formâ adjuncta ejus etiam enarrat & explicat. Post illa, Species Virtutum quarumvis pertractat; in singulis, quod suum est cuique tribuit. Atque dum hîc versaris (arrige aures & animum Pamphile!) Virtutem ipsum tibi licebit coràm intueri, & venerari; quod maximè esse velis, reapse eris. Vir integer vitæ (in quovis statu) scelerisque purus. Postremò, agmen claudit Eudæmonologia, altera Pars Ethicæ; quæ nos informat, quodnam sit Hominis summum Bonum, quâve in re Beatitudo Hominis consistat, & quænam illa sint Bona externa, quæ eundem Beatum efficere nequeunt. Exhibui tibi hucusque breviorem recapitulationem hujus Ethicæ

Christianæ, à primo ad ultimum deductam; Cui ex abundanti adjecimus, viri cujusdem Eruditi, singulorum Capitum Summaria; ut sic unico quasi intuitu eam possis perlustrare.

IV. *Usus & Studium Ethicæ Christianæ commendatur.*

Tuum erit, quæ hîc ab Auctore nostro fideliter traduntur, in succum & Sanguinem vertere: Omnia enim hîc spirant Probitatem vitæ; in quâ (persuasum teneas) quantùm indies profeceris, tantò Beatior eris. Quo profectò studio, nullum dignius est, aut Homine, aut Christiano; nam utrumque imbuit & perficit Amore Honesti & Optimi. Hâc etenim Disciplinâ Ethicâ erudimur in omni Officiorum genere; erga Deum Optimum Maximum, ut eum ritè colamus; Erga Proximum, ut eum sincerè diligamus; denique ergo nosmetipsos, ut nos & quicquid nostri Census est, Cogitata, Passiones Actionesve nostras debitè regamus, & ad summum finem tàm Hominis, quàm Christiani destinemus. Hoc

si

si fecerimus, nunquam Ausis & Conatibus nostris excidemus; altâ pace Conscientiæ fruemur in hâc mortali vitâ; in alterâ verò, quæ omnes pios & probos viros manet, Erimus, Erimus quàm Beatissimi.

Atque hisce amice Lector Vale. Quicquid sanum sanctumve est; Quicquid tandem te reddere potest verè Probum Beatumque; Hoc omne tibi ex animo voveo & precor.

Hujus

Hujus Tractatûs Syllabus.

Cap.		Pag.
I.	De Naturâ Ethices	1
II.	De Principiis actionum moralium	6
III.	De Speciebus actionum moralium	20
IV.	De Affectibus in genere	38
V.	De Affectibus in specie	50
VI.	De Legibus	67
VII.	De virtute in genere	81
VIII.	De Prudentiâ	101
IX.	De Pietate	104
X.	De Justitiâ	110
XI.	De Benevolentiâ, & Beneficentiâ	113
XII.	De Civilitate	117
XIII.	De Probitate quæ nos ipsos spectat	120
XIV.	De Virtute quorundam Statuum particulari	123
XV.	De Beatitudine	126

STE-

STEPHANI CURCELLÆI SYNOPSIS ETHICES.

CAPUT I.

De Naturâ Ethices.

ETHices Synopsin tradituro, visum est à naturæ illius explicatione ordiri. Dicta est ἀπὸ τοῦ ἦθος, id est, à moribus. Mores vero sunt vivendi ratio consuetudine firmata. Quod ad rem ipsam attinet, *Ethice est scientia morum, quibus homines ad beatitudinem contendere oportet.* I. *Ethices appellatio & quomodò sit definienda.*

Genus in hâc definitione est *scientia*, voce Scientiæ pro certâ alicujus rei cognitione acceptâ. Non repugno tamen ut dicatur vel *sapientia* vel *prudentia*, modo hæc vocabula non restringantur more Aristotelico, sed usurpentur generaliter pro actionum moralium scientiâ seu cognitione. Vocari etiam potest *doctrina*, quatenus à præceptore docetur: *disciplina* verò quatenus à discipulo discitur. Nec malè appellatur *ars*, quatenus constat compage certorum præceptorum usu probatorum, ad finem a- II. *Data definitionis genus.*

liquem in vitâ: prout artem ex Stoicorum mente definit Lucianus.

III. *Differentia definitionis à subjecto petitur; quod duplex est, vel tractationis.*

Differentia definitionis petita est ab Ethices subjecto, & quidem tam tractationis quàm informationis. Subjectum tractationis in hâc scientiâ sunt *mores*, & *beatitudo* hominis. *Beatitudo* quidem, quatenus omnium actionum humanarum ea est finis ac meta. *Mores* verò, quatenus sunt media quibus ad beatitudinem pervenitur, aut infortunium vitatur. Et cum sub morum generali appellatione, & virtutes & vitia comprehendantur; de illis per se in Ethicis agitur, utpote quæ sunt via ad beatitudinem rectâ ducens: de his autem per accidens, tanquam de impedimentis in illâ viâ occurrentibus.

IV. *Vel informationis.*

Subjectum informationis est homo, quatenus bonis moribus est imbuendus, atque à pravis abducendus, sicque beatus reddendus. Cùm autem homo constet corpore & animâ, & in animâ sint primùm intellectus, voluntas & memoria; deinde sensus, affectus & locomotiva; circa hæc omnia occupatur Ethice, quanquam diversimode. Anima enim est quæ præceptis Ethicis imbuitur, non corpus; intellectus illa percipit, voluntas approbat, memoria retinet, locomotiva unà cum corpore exsequitur. Sensus autem, affectus & locomotiva his præceptis regenda sunt, ne rationi obluctentur.

V. *Quis sit idoneus Ethices auditor.*

Hic quæritur, An juvenis sit idoneus Ethices auditor? Resp. Aristoteles distinguit inter νέον & ἀνήνιον, juvenem ætate, & νέον τὸ ἦθος juvenem moribus; & hunc non esse aptum ad Ethicen audiendam contendit, illum

vero quandoque admittit. Sed nos dicimus, pueros statim atque rationis sunt compotes, in Ethicis esse instituendos. In tenerâ enim illâ ætate ingenia sunt maximè flexilia, & quæ tunc didicerunt, toto vitæ suæ tempore retinere solent: secundum illud Poetæ:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Ideoque in Sacris literis præcipitur parentibus, ut liberos suos statim ab infantiâ legem Dei doceant, *Erunt*, inquit Deus per Mosem, *verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis*, &c. *Deut.* vi. 6, 7. Item Propheta Regius; *In quo corriget adolescens viam suam? In custodiendo sermones tuos*, *Psal.* cxix. 9. Vide etiam, *Genes.* xviii. 19. & *Exod.* xii. 26, 27.

VI. *Quotuplex sit modus docendi Ethicen.*

Triplex autem est modus docendi Ethicen: Primus *gnomologicus*, seu per breves sententias, quibus indicatur quid agendum & quid vitandum sit: qualem secutus est Solomon in suis Proverbiis, Syracides in Ecclesiastico, Isocrates ad Demonicum, Agapetus & Nilus in suis parænetica, aliique. Secundus *paradigmaticus* per exempla & apologos, quibus virtutis pulchritudo & vitii deformitas depingitur, & velut ob oculos ponitur: qualem observavit Æsopus in Fabulis, Valerius Maximus in suis Dictorum & Factorum memorabilium collectaneis, Plutarchus in Apophthegmatibus. Tertius *apodicticus*, cum accuratè virtutum & vitiorum naturæ per definitiones, divisiones, causas, effectus, & adjuncta explicatur: qualem videmus in Ethicis Aristotelis ad Nicomachum,

apud Ciceronem & Ambrosium in libris Officiorum, in multis aliis tam Christianorum quàm Ethnicorum opusculis moralibus. Priores duo modi in puerorum institutione usurpari debent, utpote eorum captui accommodatiores: Et statim atque capere possunt, infigenda sunt ipsorum intellectui & memoriæ, Decalogus, oratio Dominica, Symbolum Apostolicum, insigniores historiæ Biblicæ, & breves è Novo Testamento excerptæ gnomæ. Postremus verò adultioribus tantùm instituendis convenit: Eumque nos in istâ Synopsi, quantùm brevitas ejus patietur, observare proposuimus.

VII. *Ethices partes primariæ duæ tantùm, ἀρετολογία & εὐδαιμονολογία, & quare.*

Ethicæ duæ sunt partes primariæ. Prima de virtutibus, quæ sunt media ad beatitudinem ducentia: Secunda de beatitudine, quæ est virtutis finis & præmium. Illa non incommode unâ voce ἀρετολογία, hæc vero εὐδαιμονολογία appellari potest. Alii eam aliter dividunt. Sed nobis hæc partitio maximè arridet: 1. Quia neque latior neque angustior est suo diviso, sed ei adæquata. Omnia enim quæ in Ethicâ tractari debent, ad harum partium alterutram revocari possunt, nihilque sub iis comprehenditur quod non sit Ethicæ considerationis. 2. Quia membra illius inter se dissentiunt, & cum toto consentiunt: seu, neutrum sub altero, utrumque verò sub toto continetur. Non multum autem refert, quænam harum partium præcedat, quæ sequatur. Utraque enim sententia pari ferè rationum pondere niti videtur. Qui præponunt beatitudinem virtuti, moventur hoc argumento; quòd beatitudo est virtutis finis: Finis autem primus est in operantis intentione. Qui

Qui postponunt, id faciunt quia finis est ultimus in executione; id est, non obtinetur nisi postquam media fuerunt usurpata. Idq; fortasse movit Aristotelem, ut de beatitudine in principio & in fine suorum Ethicorum ageret. Nobis posterior sententia magis allubescit, quia hic est ordo naturæ, ut media prius usurpentur, quàm finis, qui illorum præmium est, obtineatur.

VIII. *Alia Ethices partitio; sed rejicitur, & quâ de causâ.*

Sunt præterea qui Ethicen in duas species dividunt, quarum una sit Philosophica, altera verò Theologica. Et in illâ agendum putant de virtutibus lumine naturæ notis, quas ad vitæ præsentis beatitudinem comparandam sufficere credunt: In hâc verò de perfectioribus illis virtutibus, fide, spe, & charitate Christianâ, quæ ad cœlestem felicitatem ducunt. Sed malè. Non tantùm quia fieri non debet per plura quod æquè commodè potest fieri per pauciora: sed etiam, idque præcipuè, Quia nemo terrestrem, seu hujus vitæ beatitudinem adipisci potest, qui negligit cœlestem; & qui ad cœlestem toto corde adspirat, terrestrem etiam, quatenus ei expedit, consequitur: secundum illud Christi *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia* (nempe quæ ad præsentem vitam sunt necessaria) *adjicientur vobis*, Matth. vi. 33. Et Pauli, *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*, 1 Tim. iv. 8. Ideoque nos utramque hic compingemus in unius scientiæ corpus, colligantes tam è Sacris quàm è profanis auctoribus, quæ ad institutum nostrum facere existimabimus.

IX. *Utrùm Ethica sit Philosophiæ, an potiùs Theologiæ pars.*

Sed si res ita se habeat, quæretur, Utrùm Ethica sit Philosophiæ, an verò potiùs Theologiæ pars. Ad quod respondeo, per distinctionem vocis Philosophiæ. Si enim Philosophia accipiatur pro omnium artium laudatarum fasciculo, ut non tantùm Ciceroni & Platoni placuit, sed etiam multis è veteribus Christianis, qui religionem Christianam Philosophiæ Evangelicæ nomine indigitant; nullum est dubium quin Ethica Philosophiæ ambitu comprehendatur, cùm Theologia ipsa eodem quoque pertineat. Sed si per Philosophiam intelligatur cognitio rerum quæ naturæ lumine haberi potest, ut vulgò hodie accipitur; per Theologiam verò, illa quæ ex revelatione divinâ proficiscitur; Ethica ad utramque pertinebit: siquidem pars quædam illius naturâ nota est, quam Philosophi Ethnici scriptis suis illustrarunt; alia verò pars minimè, quam ideo ex Dei verbo haurire debemus; ut ex iis, quæ deinceps dicturi sumus, apparebit.

CAPUT II.

De Principiis actionum moralium.

I. *Ars Ethicæ partes duas; una de Objecto virtutis, altera de Virtute ipsâ.*

ARs Ethica est prima Ethices pars, agens de virtute tanquam medio ad Beatitudinem acquirendam requisito. Itaque in duas partes iterum dividitur, quarum una est de Objecto & normâ virtutis, altera de Virtute ipsâ. Objectum virtutis sunt tum actiones morales, tum affectus; nec non voluptas & dolor. Intellige

rellige istud de objecto interno; nam externum est vel reale, nempe bona & mala hujus vitæ; vel personale, quod est partim Deus, partim alii homines, partim nos ipsi. Sed de illo in ipsâ virtutis tractatione agetur; hujus verò consideratio præmitti debet.

II. *Actio moralis definitur, & distinguitur tàm ab actione naturali, quàm artificiali.*

Actio moralis est motus hominis circa bonum vel malum morale occupati. Ita vocatur ad distinctionem naturalis, quæ boni & mali moralis respectu indifferens est; ut edere, bibere, loqui, currere & similes; item artificialis, quæ pari modo se habet. Etsi autem de actionibus moralibus agatur in ipsâ virtutum tractatione; tùm quatenus sunt causa efficiens virtutum & vitiorum, tùm quatenus eorundem sunt effecta; tamen quia etiam aliter considerari possunt, præstat de iis hic generaliter agere. Actiones autem morales in eos tantùm cadunt, qui rationis usum habent, quâ possint bonum à malo discernere. Proinde infantes & mente moti quâ tales, seu durante amentiæ paroxysmo, illarum capaces non sunt; eorumque actiones nihil aliud sunt quàm motus naturales, qui per se neque honesti, neque turpes sunt.

III. *In actionis moralis considerandæ sunt Causa & Species, quarum illæ sunt vel in homine, vel extra hominem.*

Actionis moralis considerandæ sunt tùm causa seu principia, tùm species. Causa illius efficiens, vel est in homine, vel extra hominem. In homine est primo Natura, secundo Intellectus, tertio Arbitrium.

Natura est causa efficiens actionis moralis, quatenus per eam intelligitur propensio naturalis

IV. *Actionis moralis Causa efficiens in homine, est primo Natura, & quomodò.*

ralis ad bonum vel malum morale agendum, ex temperamento seu conformatione corporis orta. Ex diversitate enim temperamenti proficiscitur, quod alii proni sint ad iram, alii verò mansueti sint; alii audaces, alii contrà meticulosi, &c. Idque Galenus ostendit peculiari libro, in quo auctoritate, experientiâ, & rationibus confirmat, mores sequi temperamentum corporis. Hocque fundamento nititur pars illa Physicæ, quæ dicitur Physiognomica: quæ ex lineamentis corporeis conjecturam sumit de moribus animi. Sed tamen sciendum est, temperamentum necessitatem non afferre secundùm illud operandi: & mali temperamenti propensionem posse bonâ institutione corrigi, boni verò inclinationem cùm improbis versando & se ad malum assuefaciendo corrumpi. Hinc est quod Physiognomica tota est στοχαστικὴ seu conjecturalis, & nullas regularum suarum indubias demonstrationes afferre queat. Quare qui male faciunt, non debent naturam accusare, sed seipsos, quòd motus naturales, prout poterant, non compescuerint & refrænarint.

V. *Secundò, intellectus.*

Intellectus est causa efficiens actionis moralis, quatenus bonum & malum morale cognoscit, & de cognito judicat. Est enim fax, quæ hominem in actionibus suis regit, eâque extinctâ non potest non cespitare & impingere. Nam cum appetitus, qui cæcus est, sæpe ad turpia incitet, intellectûs lumine opus est, qui doceat quid honestum, quid turpe sit, atque auctoritate suâ ἐγκρατικὴ motus inordinatos appetitûs compescat. Qualis igitur & quanta est notitia boni, talis & tanta ordinaria ejus

dem

dem approbatio, volitio & persecutio. Contrà, qualis & quanta est mali notitia, talis & tanta etiam est ejusdem improbatio, nolitio, & fuga. Indéque ortum habet vulgatum illud, Ignoti nulla cupido. Idem, Error in intellectu, parit peccatum in voluntate.

VI. *Tertiò, Liberum arbitrium, quod homini à Deo inditum esse probatur, tàm ex ratione, quàm S. Scripturæ auctoritate.*

Liberum arbitrium est causa efficiens actionis moralis, quatenus per id intelligitur voluntatis facultas, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, aut hoc potiùs quàm illud agere. Libertas enim est duplex, contradictionis seu exercitii, & contrarietatis seu specificationis actûs. Illa est, per quam homo potest agere vel non agere, & locum habet ubi de unâ re agitur? ut si cui offerantur honores, liberum est ei eos acceptare vel repudiare. Hæc verò est, per quam homo hoc potiùs quàm illud potest agere, & locum habet ubi de pluribus rebus agitur, ut si cui honores & opes proponantur, in ejus arbitrio est honores acceptare & opes repudiare, vel contrà. Utraque est homini à Deo cùm ipsum creavit indita, nec unquam postea erepta. Et sanè absque eâ, obedientiæ & inobedientiæ, seu virtutis & vitii, ut Deus sibi proposuerat, capax esse non poterat. Virtus enim obedientiæ non est, bona & justa quæ præcepta sunt sectari, nisi liberum sit ab iis abstinere; aut mala & injusta quæ vetita sunt omittere, nisi liberum sit ea facere. Ita v. gr. ille non potest dici obediens, qui arcto carceri inclusus & diligenter custoditus non aufugit. Nec vitium inobedientiæ est, bona omittere, aut mala facere, si aliter nequeas. Ita ex. gr. cæcum nemo dicet inobe-

inobedientem, si justus videre non videat, aut surdum si justus audire non audiat. Deinde, omnes leges tam divinæ quàm humanæ erunt injustæ, si iis quibus feruntur, libertate sunt destitutæ. Cui enim sit præcipere virtutem illi, cui non minùs sit impossibile, quàm montem humeris suis gestare, aut aquam maris absorbere? Cui fini prohibere vitium, si ab eo non magis possit abstinere, quàm à videndo cùm oculos apertos habet; aut ab audiendo, cùm aures non sunt obturatæ? Tertio, suasiones & dissuasiones, promissa & minæ, vanæ & inutiles erunt. Stultum enim est illas adhibere erga eos qui liberi non sunt, sed ineluctabili necessitate feruntur ad ea faciendâ quæ faciunt, vel omittenda quæ omittunt; ut ignis, qui necessariò siccat nec humectare potest; & aqua, quæ necessariò humectat & siccare non potest. Quarto & postremo, præmia sine ratione obedientibus darentur, & pœnæ injustè ab inobedientibus exigerentur. Nec enim ille dignus est mercede qui boni quippiam fecerit, si in potestate ipsius non erat id omittere, non magis quàm lapidi à cadendo abstinere cùm in terram projicitur. Nec ille meretur pœnam, qui mali quidpiam admiserit, aut boni omiserit, si aliter agere non poterat, & æquè impossibile facere atque manè sicco pede trajicere, aut omittere atque à respirando abstinere. Nec ratio tantùm huic opinioni favet, sed etiam Scriptura. Inter alia, illustris ille locus, ubi Moses Israelitis dicit, *Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas*

&

& semen tuum, Deut. xxi. 19. Vide etiam Ecclesiast. xv, 14. & seqq. qui liber est quidem Apocryphus, sed in hoc sententiam totius veteris Ecclesiæ, tam Judaicæ quàm Christianæ, continet.

VII.

Diluuntur objectiones contra Liberum Arbitrium latæ; quarum prima hic respondetur.

Sed contrà objicitur, Hominem divinis legibus obedire teneri: Ergo non esse libero arbitrio præditum, cùm libertas sit facultas vivendi ut vis. Ego vero respondeo minimè id sequi; prout apparet ex Regum & summorum magistratuum exemplo, qui etiamsi nullam in voluntatem subditorum potestatem habeant, nihilominùs tamen eos suo imperio regunt; quia non solùm eos prudentiâ suâ quo volunt ducere possunt, sed etiam potestatem habent eos severè puniendi, si mandata sua transgrediantur. Quanto ergo magis id Deo convenit, cujus sapientia & potentia sunt infinitæ? Nihil enim ipso inscio aut invito à quoquam fieri potest, & qui in eum peccavit, nusquam manus ipsius effugiet, quin meritas pœnas luat. Præterea etiamsi libera sit hominis voluntas, non tamen est absolutè dominus suarum actionum. Hic enim agitur solùm de libertate intimâ in rebus Dei lege præceptis aut prohibitis volendis vel nolendis, quæ necessaria est ut tam obedientiæ quàm inobedientiæ capax sit; non de executione extimâ eorum quæ proposuit agere aut omittere. Nam Deus, qui corda scrutatur, ex voluntate firmâ & deliberatâ de virtute & vitio judicat, etiamsi fortè nulla actio externa sequatur; modò per hominem non stet quin exsequatur, sed à majore aliquâ vi impediatur. Ita Abrahamus coram Deo reputatus est quasi filium

filium suum, prout ei præceptum erat, immolasset, quia id apud se statuerat, & extemplò erat executioni mandaturus, nisi Angelus eum ulteriùs progredi prohibuisset. Et Saul coram eodem pro homicida fuit habitus, propter deliberatam Davidem occidendi voluntatem, quam proculdubio executurus fuisset, nisi Deus varia ei impedimenta objecisset. Idemque in multis aliis tam bonis quàm malis rebus contingere non est dubium, in quibus Deus voluntatem plenâ suâ libertate frui finit, & tantummodò potestatem effectum illius impediendi sibi reservat. Unde patet libertate istâ ne minimum quidem summo Dei imperio derogari. Contrà, imperii divini sublimitas magis conspicitur in creaturarum libertarum regimine, quàm si libertate essent privatæ; quemadmodum magis eminet Principis sapientia in regendis subditis, quàm in equo domando. Præstantius enim est præceptis, interdictis, promissis, minis, hortationibus, inspirationibus & occasionibus quas offert, aliisque ejusmodi mediis, eos ad finem quem intendit ducere, nullâ libertati ipsorum vi illatâ; quàm si eos brutorum instar vi irresistibili tanquam capistro traheret.

VIII. *Secunda.* Secundò affertur, Deum præscire omnes actiones hominum. Ergo illas non esse liberas seu contingentes, sed ad unum determinatas; quia alioqui præscientia Dei falli posset. Resp. Negare me consequentiam: præscientia enim est res in Deo immanens, & quæ nihil foris operatur. Deus præscit futura quia futura sunt, non autem sunt futura quia Deus illa præscit. Præscit autem singula secundùm propriam eorum

rum naturam, contingentia ut contingenter futura, necessaria ut necessariò futura; alioqui falleretur, non verè præsciret. Est enim scientia instar visus. Debet autem visus esse accommodatus rebus visis, non contrà. Nec refert quòd contingentia tam possint non esse quàm esse. Sufficit enim ut præscientia Dei non fallatur, ut res eveniant quemadmodum illas eventuras prævidit, non ut aliter evenire non possint. Et, si aliter eventuræ essent, id quoque prævidisset Deus; ita ut metuendum non sit ne unquam decipiatur. Unde autem certitudo ista pendeat, alia ratio reddi non potest præter intellectûs divini infinitatem, qui abdita omnibus creaturis inaccessa penetrat. Nec dicendum est Deum scire futura, quia illa decrevit; cùm enim pleraque eorum quæ fiunt ab hominibus sint mala, Deus esset mali auctor, si illa decrevisset; quod nefas est dicere.

Tertiò dicunt, Voluntatem hominis necessariò pendere à judicio rationis practico, quia nec contrarium, nec aliud quidpiam velle possumus, quàm illud quod omnibus circumstantiis expensis, judicavimus apud nos esse bonum, aut melius, sive minùs malum aliis, quæ nobis proponuntur; alioqui vellemus malum sub specie mali, quod fieri non potest. Intellectum autem non esse liberum in suo judicio, sed necessariò judicare de rebus prout ipsi offeruntur. Ergo nullum esse liberum arbitrium. Resp. 1. Voluntatem non necessariò pendere in omnibus suis actionibus à judicio rationis practico; quia sæpe contingit ut in actionibus quibusdam subitaneis nullum tale judicium formemus, sed impetu

IX. *Tertio.*

impetu & fine deliberatione ferimur quo sensus nos trahunt. Cum autem intellectus judicium aliquod de re faciendâ aut omittendâ formet, non esse mirum si voluntas illud semper sequatur, quia tale judicium reipsâ non differt ab actu volendi. Nam dicere apud se, hoc ita bonum est ut oporteat illud amplecti, vel ita malum est ut oporteat id averſari, nihil aliud esse videtur quàm id velle aut nolle. Intellectus enim & voluntas non sunt facultates reipsâ à se invicem distinctæ, ita ut intellectus nihil velit, & voluntas nihil intelligat. Nam quamvis in formali suâ ratione consideratæ videantur tales esse, in usu tamen id locum non habet. Sed in plerisque rebus, præsertim practicis, nihil judicamus sine voluntate, & nihil volumus sine judicio: alioqui actiones nostræ, utpote aut sine cognitione aut sine libertate factæ, nec laude nec vituperio, neque præmio, neque pœnâ essent dignæ; quod absurdum est. 1. Falsum est intellectum semper & necessariò judicare de rebus prout ipsi objiciuntur, sine ullo interveniente voluntatis actu. Quamvis enim id contingat in quibusdam, adeò manifestæ veritatis aut falsitatis, ut de iis homini sanæ mentis nulla dubitatio oboriri queat; tamen in multis aliis quæ talis naturæ non sunt, id locum non habet, sed illas veras aut falsas, bonas aut malas esse statuimus, quia ita volumus. Imo quemadmodum oculos meos, si velim, claudere possum, vel alio avertere, ne videam id quod aliogui fieri non posset quin viderem, si in uterer; ita etiam possum intellectum meum, si libeat, ab apertâ veritate vel falsitate agnoscendâ abducere; ita

ut

ut illa mihi incognita maneat. Instant, Neminem peccare scientem, sed ex ignorantiâ & errore mentis, quatenus malum pro bono apprehendit: malum enim quatenus malum non esse appetibile. Ut autem verum bonum aliqui appareat, penes ipsum non esse; cùm tales res nobis appareant, quale est nostrum ingenium. Sed respondeo, etiamsi nemo sciens peccet, quatenus actu & distinctè est sciens; tamen peccare posse quatenus habitualiter solum & confusè est sciens; idque meritò ipsi vitio verti, cum si vellet, & diligentiam quam potest adhiberet, actu & distinctè cognoscere posset. Quod autem dicitur malum non esse appetibile; verum quidem est quatenus malum & malum consideratur. Sed cùm id quod turpe est, simul vel jucundum vel utile esse queat, non appetetur quidem sub ratione turpis, sed tantùm quatenus jucundum aut utile esse apparet. Cur verò verum bonum non semper nobis tale esse appareat, in causâ est vel negligentia nostra, vel mala assuetudo, quæ judicium corrumpit. Assuetudo autem initio est planè voluntaria; licèt cùm diuturno tempore invaluit, difficulter exui possit.

X. *Quarta denique.*

Quartò ita disputant, Homo nunquam libere agit; quia neque liberè agit antequam agat, utpote qui tum nihil agit; neque liberè agit cùm agit, sed necessariò; siquidem omne quod est, quando est necesse est esse. Ergo non est præditus libero arbitrio. Sed resp. illud esse inepcum sophisma. Utroque enim modo liber est homo, quo esse negatur. Nam quemvis cum liberè agere ineptè diceretur antequam agat, tamen

men inducimur est quin potentiam liberè agendi habeat, etiam antequam reipsâ agat; cum omnis potentia præcedere debeat sui usum. Præterea, homo cum agit id, quod in potestate suâ fuit non agere, omnino libere agit. Etsi enim eo momento quo agit, certum sit eum agere, & contrarium sine falsitate dici nequeat; non tamen necessariò agit; quia ut potuit antè non agere, ita etiam tunc potest ab agendo desistere, vel contrarium agere. Itaque vulgatum illud, Omne quod est, quando est, necesse est esse, non est verum in iis quæ contingenter fiunt. Quidam dicunt esse verum in sensu composito, sed non in diviso. Sed neque sic loqui velim; cum aliud sit verum, aliud necessarium.

XI. *Actionis moralis causa efficiens extra hominem, duplex; vel præparans.*

Causa efficiens actionis moralis extra hominem, alia est præparans, alia impellens. Præparans causa est, quæ hominem extrinsecùs disponit ad moraliter agendum, cujusmodi est educatio, institutio, & disciplina recta vel prava; eodemque etiam pertinent aliorum exempla. Per educationem autem hic non intelligitur alimentorum aliorumque ad vitam sustentandam necessariorum suppeditatio, sed, quæ eam comitari solet, animi & actionum puerilium familiaris & domestica directio, & informatio. Per institutionem autem & disciplinam intelligitur, accuratior informatio quæ à præceptoribus fit. Per exempla verò externa facta in sensus incurrentia, quæ vel imitamur vel fugimus. Solentque profundius in animos penetrare quàm præcepta.

Impel-

nam

XII. *Vel impellens.*

Impellens causa est, quæ hominem extrinsecùs excitat ad moraliter agendum; cujusmodi est suasio & dissuasio, hortatio & dehortatio, præceptio & prohibitio, promissio & comminatio, laudatio & vituperatio, præmia & pœnæ. Suasio est oratio, quâ alterum movere studemus ad aliquid agendum quod nondum agere cœpit. Dissuasio contrà, quâ ipsum movere conamur ad omittendum aliquid quod nondum agere cœpit. Hortatio oratio est, quâ alterum incitamus ad pergendum in eo, quod agere cœpit. Dehortatio vero est, quâ ipsum retrahimus ab eo quod agere cœpit, ne in eo pergat. Præceptio est oratio, quâ alteri bonum aliquod injungimus, ut appetat illud & persequatur. Prohibitio vero est, quâ malum vetamus, ut illud aversetur & fugiat. Promissio oratio est, quâ alteri præmium pollicemur, ut bonum aliquod alacriùs appetat, & persequatur. Comminatio vero, quâ pœnam minamur, ut malum aliquod studiosiùs aversetur, & fugiat. Laudatio est oratio, quâ alterius facta commendamus, ut alacriùs in iis pergat, vel alios ad imitandum stimulet. Vituperatio contrà, quâ alterius facta reprehendimus, ut ea vel ipse, vel alii aversentur & fugiant. Præmium est boni operis remuneratio, eò tendens, ut tùm qui fecit alacriùs posteà in benè agendo pergat, tum alii similis remunerationis spe accensi, virtutem sectentur. Pœna est mali operis ultio, eò collimans, ut tum qui peccavit, in posterum à malo abstineat; tum etiam alii, similis ultionis metu deterriti, vitium fugiant.

XIII. *Actionis moralis finis.*

Finis actionis moralis est boni propositi assecutio, & mali declinatio. Sicut omnes actiones morales causam aliquam efficientem habent, ita etiam finem habere debent, ad quem tendant; nisi frustrà & temerè fiant. Finis autem ille est bonum aliquod quod assequi volumus: sub quo comprehenditur mali declinatio, quæ etiam bonum quid est. Omnis enim finis boni rationem habet. Sed cum bonum aliud sit verum, aliud apparens; homines sæpe apparens pro vero amplectuntur. Apparens autem bonum est revera aliquid malum; ut delectatio, quæ ex peccatis percipitur, videtur bona; cum reipsa mala sit.

XIV. *Quotuplex sit istarum actionum finis.*

Finis actionum moralium alius est per se, alius per accidens. Finis per se est, ad quem illæ actiones suâ naturâ, vel intentione agentis destinantur. Estque vel ultimus vel intermedius. Finis ultimus est, ad quem omnes actiones humanæ ultimò suâ naturâ destinatæ sunt, vel saltem ex ordinatione Dei referri debent; estque Dei gloria: Secundum illud Pauli, *Sive editis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* 1 *Cor.* x. 31. Item, *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit gloria in sæcula.* *Rom.* xi. 36. Finis intermedius actionum moralium est, qui ad ultimum refertur; ut liberalitatis finis intermedius est, subvenire indigentiæ alienæ; ista autem subventione, gloria Dei illustratur. Finis per accidens est, ad quem actiones morales præter naturam suam, vel præter agentis intentionem referuntur. Et melius eventus dicitur. Sic illustratio gloriæ Dei est finis per accidens, vel

eventus peccatorum quæ ab homine perpetrantur; cum præter naturam suam & peccantis intentionem eo dirigantur.

XV. *Actiones morales solo fine discriminandæ.*

Quæritur autem an actiones morales solo fine discriminentur, ita ut illæ sunt bonæ quæ bonum finem habent, malæ quæ malum. Respondeo, nullum est dubium quin illæ, quæ malum finem habent, malæ quoque sint. Qualis erat actio illorum Pseudo-Apostolorum, qui *per invidiam & contentionem Christum annunciabant, non sincerè, ut afflictionem adderent Paulo vinculis, Philipp. i. 15, 16.* Nam quod Paulus ea de re lætabatur, id non faciebat quod illa actio esset revera bona, sed quia ex eâ aliquid boni redibat, numirum cognitio Christi ad plures perveniebat. Malus autem ille animus omnibus non innotescebat, ideoque ita nocere non poterat. Sed bonus finis solus actionem bonam reddere non potest; ut si quis eleemosynæ dandæ causâ, aliis sua bona sive clanculùm, sive apertâ vi eripiat. *Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, Rom.* iii. 8. Sed ad finem bonum per honesta & licita media, non autem per turpia & illicita, contendendum est. Nam quod objicitur in contrarium, finem magis conciliare bonitatem, id non semper de vera bonitate morali accipiendum, sed aliquando etiam de apparente. Ea potiùs locum habet in naturalibus, aut indifferentibus rebus, quam in aliis. Aut dicendum, bonitatem quam finis conciliat mediis, non esse bonitatem internam & absolutam, sed externam & relativam, quæ iis convenit respectu finis, quem illis commodè assequi possunt.

I

II

XVI. *Actionis moralis Materia & Forma.*

Materia actionum moralium sunt motus naturales. Forma est motuum naturalium ad bonũ vel malum morale determinatio. Actiones absolutæ, quatenus determinatis opponuntur, materiæ & formæ sunt expertes. Licet enim iis interdum attribuatur materia, tamen illa vox non propriè accipitur, pro materiâ ex quâ materiatum essentialiter constituitur; sed vel pro materiâ in quâ, quæ propriè dicitur subjectum inhærentiæ, vel pro materiâ circa quam, quæ propriè dicitur objectum. Forma vero ea, nihil est aliud, quàm modus quo fiunt. Solæ actiones determinatæ, quales sunt morales & artificiales, habent materiam & formam. Illæ enim constant ex actione naturali & absolutâ tanquam materiâ, & determinatione ad bonum & malum tanquam formâ.

CAPUT III.

De speciebus actionum moralium.

I. *Actionum moralium Species sunt variæ.*

ACtionum moralium variæ sunt species; nam primò, aliæ sunt spontaneæ, aliæ invitæ, aliæ mixtæ. Differunt actiones spontaneæ à liberis; etsi enim omne liberum sit spontaneum, non tamen vice versâ.

II. *Definitur actio Spontanea; in quâ duo requiruntur: & quæ sensu circumstantiæ quædam, actionis naturam mutare dicantur.*

Actiones spontaneæ sunt, quæ fiunt ab homine ad agendum propenso, & cognoscente singulas actionis suæ circumstantias. Duo itaque

in

in actione spontanea requiruntur: unum, ut principium illius sit in ipso agente; quod fit, cum ab appetitu aut voluntate suâ ad agendum movetur. Nec refert, etiamsi boni spe impulsus, aut ab altero admonitus, quippiam faciat; cum his positis possit etiam non facere. Alterum ut partim sensuum, partim rationis ope cognoscat singulas actionis suæ circumstantias. Illæ autem vulgò hoc versiculo comprehendi solent:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Primâ voce, *Quis*, designatur persona tàm agens, quàm actionem recipiens: quæ aliquando facit ut illa quæ similia esse videntur, multùm inter se discrepent. Ita beneficium ab inimico acceptum majus habetur, quàm si ab amico esset profectum. Contrà verò, injuria ab amico accepta gravior est, quàm ab inimico. Secundâ voce, *Quid*, significantur accidentia bona aut mala, quæ actionem sequuntur; & eam laudabiliorem aut vituperabiliorem reddunt. Ita præstantius est facinus, vitam servare viro reipublicæ utili, quàm alii, & majus est peccatum eripere pauperi id exiguum quod habet, quàm divitem parte aliquâ eorum quæ ipse abundant fraudare. Tertiâ voce, *Ubi*, notatur locus actionis: qui non parùm etiam facit ad discriminandas actiones. Ita virtus Lothi erat eminentior, quòd vivens in medio corruptissimi populi, se ab illius sceleribus purum conservaret; & furtum aut vulnus illarum in templo, gravius est quàm alibi. Quartâ voce, *quibus auxiliis*, comprehenduntur media & instrumenta quibus in actione aliquâ utimur, & merito ejus adduntur,

aut detrahunt. Ita majori laude dignus est, qui publico suis sumptibus inservit, quàm qui magna stipendia accipit. Et pejus facit, qui servo alterius abutitur ad domino nocendum, quàm si alium adhiberet. Quintâ voce, *Cur*, indicatur finis actionis; ad quem supra cætera omnia attendi solet, & maximum habet momentum ad bonitatem aut pravitatem ejus intendendam. Ita majorem laudem meritus est Aristoteles instituendo Alexandrum ad benè regnandum, quàm si privatæ ejus vitæ tantùm rationem habuisset. Et majori vituperio digna fuit uxor Alboini, quæ adulterium cum Peredeo commisit, ut eum ad mariti sui cædem obligaret, quàm si solius voluptatis causâ id fecisset. Sextâ voce, *Quomodo*, designatur modus quo actio aliqua peragitur, nempe vel alacri & ferventi animo, vel contrà frigidè & ægrè. Ita præstantior est eleemosyna hilari animo facta, quàm ægrè & veluti per vim extorta. Contrà, minus est scelus, quod quis ægrè perpetrat, quàm si ad illud totâ voluntate ferretur. Septimâ & ultimâ voce, *Quando*, intelligitur tempus alicujus actionis, quatenus ejus pretium auget aut minuit. Ita majus est beneficium quod præstatur amico in summâ necessitate, & cum ab aliis omnibus deseritur, quàm alio tempore: & major fuit perfidia Capuanorum, quod post cladem Cannensem à Romanis defecerunt, quàm si antea id fecissent. Quod autem dicitur circumstantias quasdam naturam actionis mutare, id intelligendum est fieri per adjunctionem bonitatis aut pravitatis diversæ speciei, manente semper eâ quæ essentialis est ipsi ope-

ri. Idque præcipuè in diversitate finium observare est; v. gr. in homicidio cum prædandi intentione perpetrato, vel ad ostendendam fortitudinem suam: item in pulsatione factâ ad castigationem alterius, vel ad ultionem. Nec non aliquando in diversitate personarum: ut scortatio cum eâ quæ langudine juncta est, ad turpitudinem actionis adjungit incestum; parricidium ad turpitudinem homicidii adjungit gradum, qui peccatum istud in diversâ specie constituit.

III. *Actionis Spontaneæ vel consultæ sunt, vel inconsultæ; quarum utraque definiuntur.*

Actiones spontaneæ vel sunt consultæ vel inconsultæ. Consultæ sunt, quæ fiunt deliberato animo; & ex certâ proæresi, seu præelectione. Inconsultæ contrà, quæ fiunt sine deliberatione & proæresi.

IV. *Consultatio quid, & quot in eâ sint consideranda.*

Consultatio est deliberatio, quam quis, vel apud se solum, vel cum aliis, de rebus agendis aut omittendis instituit. In omni consultatione duo sunt consideranda, objectum seu res de qua consultari potest & debet, & modus quo consultatio instituenda est.

V. *Quæ res objectum sunt consultationis, quæ non: occurritur etiam objectionibus de consultatione instituenda.*

Objectum consultationis non sunt res omnes, sed tantum illæ quæ ad nos pertinent, & in nostrâ sunt potestate, ut fiant vel non fiant; nobisque sunt ignotæ & dubiæ. Itaque 1. homines non consultant de fine, sed de mediis quæ ad finem ducunt. Neque enim medicus deliberat utrum ægri sanitatem quærere debeat,

aut orator an debeat persuadere; sed quibus mediis illud obtinere possint. 2. Non consultant de rebus necessariis, quæ vel semper sunt & nunquam fiunt; vel fiunt quidem, non tamen à nobis; sed aut à Deo solo, aut ab ejus famulâ naturâ. 3. Neque consultant de rebus contingentibus, quarum effectio non est in suâ potestate; vel etiámsi sit, tamen vel sunt alienæ à nobis, hoc est neque ad nos, neque ad nostros pertinent; vel sunt nobis notæ & certæ, ita ut consultatione non indigeant. Sed contrà objicitur; Consultationem non tantùm institui de mediis, sed etiam aliquando de fine; ut cum quis deliberat utrum hoc vel illud vitæ genus sequi debeat; utrum Medicinæ, an Juris prudentiæ, aut Theologiæ operam dare præstet? Resp. Finem alium esse ultimum, qui est beatitudo; alium subordinatum seu intermedium, qui ad ultimum refertur. De priore simpliciter verum est, quòd nulla prorsus deliberatio institui soleat; nemo enim deliberat an velit esse beatus. De posteriore verò non est absolutè verum. Nam cum finis subordinatus rationem habeat medii, quo ad ultimum pervenitur; eo respectu quandoque de eo deliberatur. Et sic consultatio de genere vitæ, seu studiorum, est quidem de fine subordinato; sed qui non consideratur ut finis, verùm tanquam medium ad ultimum ducens, quo toto impetu ferimur, & sine omni prorsus deliberatione. Deinde objicitur; Consiliarios Principum, item parentes, advocatos, medicos, &c. sæpe consultare de rebus quæ non in suâ, sed aliorum sunt potestate, & ad eos pertinent. Respondeo,

ſpondeo, Per nos, non tantum noſtras perſonas eſſe intelligendas, ſed etiam omnes eos qui ad nos quoquomodo pertinent, ſive officii, ſive cognationis, ſive amicitiæ ratione; atque hoc ſenſu conſiliarios, advocatos, &c. deliberare de ſuis rebus, quando deliberant de iis quæ pertinent ad dominos, clientes, alioſve quorum perſonam repræſentant.

VI. *In quo potiſſimùm conſiſtat modus inſtituendi conſultationem.*

Modus inſtituendi conſultationem in tribus potiſſimùm rebus conſiſtit, nimirùm certi finis conſtitutione, inquiſitione mediorum idoneorum ad finem ducentium, & in uſu & applicatione illorum mediorum. Primò enim, conſultanti certus finis propoſitus eſſe debet, ad quem tanquam ſcopum collineet; alioqui conſultatio ipſius erit vana atque inutilis. Secundò, oportet illum inquirere media idonea, quibus finem ſuum obtinere poſſit. Et in illis ſpectare partim qualitatem, partim numerum. Nam quod ad qualitatem attinet; videndum eſt utrùm media ſint honeſta vel turpia, utilia an inutilia, facilia an difficilia, poſſibilia an impoſſibilia; & illa eligenda, hæc verò rejicienda. Deinde, comparatione inter illa inſtituta, honeſtiora, utiliora, & faciliora præferenda erunt iis quæ minus ſunt. Et quod ad numerum, diſpiciendum eſt utrùm paucis, an pluribus mediis opus ſit ad finem obtinendum: Et ſi æquè commodè per pauciora id fieri poſſit, plura non erunt uſurpanda; cùm in pluribus, confuſio & lapſus facilior ſit, quàm in pauciori-bus. Tertiò, applicanda ſunt media inventa ad finem propoſitum. Ut autem id fiat, ultima cum primis aut mediis non ſunt confundenda, ſed

sed initio facto à remotissimis, progressus faciendus ad intermedia, donec perveniatur ad proximum medium, quod cum fine immediatè cohæret. Deinde idoneæ instrumenta adhibenda sunt, per quæ media rectè deliberata executioni mandentur. Denique, opportuna occasio exsecutionis observanda; ne vel nimis citò, vel nimis tardè rem aggrediamur. Verbi gratiâ, Salus reipublicæ est finis, quem sibi proponunt Princeps & consiliarii ejus. Ad illam consequendam, necesse est ut hostes, qui Reipublicæ moliuntur perniciem, ab eâ arceantur. Hoc medium proximè cum fine intento cohæret; sed nondum est ad manum. Duobus igitur modis illud acquiri potest; vel pacem cum hostibus ineundo, vel, si id fieri nequeat, illos devincendo. Ad pacem faciendam, videndum quæ conditiones sint commodissimæ, & mittendi sunt legati qui de iis cum hostibus tractent. Hocque est medium in inquisitione ultimum, sed in executione primum. Si vero pacis consilia rejiciantur, & ad arma devenire necesse sit; quia bellum sine ducibus, militibus, armis & commeatu geri non potest, ideò hæc comparanda decernuntur. Et quia sine pecuniâ id fieri non potest, rursus videndum quâ viâ colligi possit, utrum ex tributis, aut vectigalibus, an potius mutuo ab amicis acquirenda. Et commodior via cæteris præferenda. Si medium aliquod omninò impossibile occurrat, ut nullo modo haberi possit miles, deliberatio cessat. Si omnia suppetant, inquirendum quomodò sint adhibenda, ut Reipublicæ salus obtineatur. Et ab iis quæ in deliberatione fuerunt postrema inchoan-

choandum, ut tandem in iis quæ primo proposita sunt acquiescatur.

VII. *Proæresis quid, & utrùm differat à volitione.*

Proæresis seu præelectio est appetitio mediorum quæ per consultationem sunt inventa, & idonea ad finem consequendum judicata. Hinc judicari potest, quid sentiendum sit de illâ Aristotelis opinione, quâ proæresin à volitione differre statuit. Nam cum volitionis vox vel generaliter accipiatur pro quâlibet appetitione rationali, sive circa finem, sive circa media ad finem ducentia versetur; sive eam præcedat consultatio sive non: vel specialiter pro solâ illâ appetitione rationali, quæ circa finem versatur: secundùm priorem significationem, volitio est genus præelectionis: secundùm posteriorem verò differunt inter se. Nam 1. Volitio versatur circa finem; præelectio vero circa media ad finem ordinata. 2. Præelectio consultationem præsupponit, per quam unum alteri præfertur; volitio non item.

VIII. *Actiones tàm consultæ, quàm inconsultæ, sunt vel antecedentes, vel consequentes; & illarum differentia.*

Utræque actiones, nempe tam consultæ quam inconsultæ, vel antecedunt habitum moralem, vel eum consequuntur. Antecedentes actiones sunt, quibus habitus moralis acquiritur. Consequentes vero quibus habitus moralis jam acquisitus, exercetur & confirmatur. Differunt autem inter se in eo, quod actiones antecedentes habitum fiunt cum luctâ appetitûs carnalis & rectæ rationis, ac proinde difficulter, molestè & inconstanter; cum in illâ luctâ modò appetitus, modò ratio superior sit: consequentes verò sine ejusmodi luctâ, vel saltem non magnâ, ac proinde facilè, jucundè, & constanter.

Actiones

IX. *Actiones invitæ quæ, & quotuplices; de variis etiam ignorantiæ generibus hic fusè agitur; & utrùm ignorantiâ actio aliqua reddatur involuntaria.*

Actiones invitæ sunt, quas quis illibenter prorsus, seu contra animi sui sententiam facit. Eæque sunt duplices: vel enim fiunt per vim, ideoque violentæ dicuntur, vel per ignorantiam, & imprudentes appellantur. Violentæ actiones sunt, quæ fiunt à principio externo, & contra hominis agentis propensionem & voluntatem; ut si quis vi in carcerem trahatur, vel quis contra meam voluntatem abutatur meâ manu ad alium percutiendum. Imprudentes actiones sunt, quæ fiunt per ignorantiam facti pœnitentem, ut cum Adrastus in venatione interfecit Crœsi filium, putans esse feram, & postea re cognitâ valdè contristatus est. Differunt autem, agere per ignorantiam, & agere ignoranter. Ibi enim principalis causa actionis est sola ignorantia, ut si quis ducat sororem in matrimonium nescius: hic vero est alia causa principalis, cum quâ tamen ignorantia concurrit; ut cum ebrius alium occidit, agit quidem ignoranter, sed non per ignorantiam, quia hæc non est causa principalis peccati, tametsi cum illo sit conjuncta, sed ebrietas. Duplex autem est ignorantia ex quâ actio aliqua oriri potest; alia culpabilis, alia vero inculpabilis. Ignorantia culpabilis est, cum quis ignorat id quod nosse poterat, & debebat; ita ut ejus negligentiâ aut improbitate factum sit ut nesciret. Vulgò dicitur affectata ignorantia, & à Jurisconsultis, lata culpa. Estque iterum duplex, vel juris seu universalium, vel facti seu particularium circumstantiarum. Ignorantia juris est, cum quis legem aliquam, cujus addiscendæ occasionem & causam habuit, ignorat; ut si quis ignoraret, Magistratui

gistratui esse obediendum, furtum aut scortationem esse mala. Ignorantia facti est, cum quis specialem aliquam actionis suæ circumstantiam ignorat, quam nosse debebat; ut si quis per fenestram jaciens lapides in plateam aliquem vulneret, & dicat se ignorasse aliquem prætieturum. Id enim scire tenebatur, nec sine magnâ culpâ ignorare potest, etsi sit ebrius. Ignorantia inculpabilis est, cum quis legem aliquam sibi non revelatam ignorat, aut facti alicujus circumstantiam nescit, licèt eam diligentiam adhibuerit, quam virum bonum & prudentem decet; talis est eorum, qui ignorant an Christus venerit in mundum, quia nihil unquam de illo audiverunt; vel ejus, qui in bello interficeret patrem aut fratrem armis indutum hostilibus. Nec tamen censetur invitum omne factum ex hujusmodi ignorantiâ profectum, sed tum demum, si re cognitâ dolor sequatur. Itaque non prorsus invitus novercam ferit, qui lapidem in canem jaciens novercam attigit, & dixit, Eugè, ne fic quidem malè. Ejusmodi ergo actio est mediæ naturæ inter spontaneam & invitam, & discriminis causâ dici potest, *non sponte facta*. Hinc apparet quâ ratione ignorantia actionem aliquam involuntariam reddat, aut non. Nam 1. Nulla prorsus actio, quæ ab ignorantiâ oritur, est formaliter voluntaria dum fit, cum fieri non possit ut voluntas, quæ est appetitus rationalis, feratur in id quod est prorsus incognitum. Postea tamen potest reddi voluntaria per approbationem. 2. Actio proficiscens ex ignorantiâ affectatâ, etsi non sit formaliter voluntaria, tamen virtualiter est talis, quia ignorantia quæ ei causam

sum dedit, est voluntaria. 3. Actio quæ ex insuperabili ignorantiâ oritur, nec formaliter nec virtualiter voluntaria est; cùm non æquatur ex ullâ re voluntariâ. Post factum tamen si approbetur, etiam virtualiter voluntaria fieri potest.

X. *Actiones mixtæ circa quas res versentur: an sponte factis, vel potiùs invitè factis sint annumerandæ; & quando laudem, quando vituperium, quando pœnam, quando denique veniam mereantur.*

Actiones mixtæ sunt, quæ partim sponte, partim invitè fiunt. Ex versantur circa res, quas in se consideratas pro malis habemus, ita ut eas sponte nunquam facturi essemus, si optio plane libera nobis daretur: Sed tamen majoris mali effugiendi, aut eximii alicujus boni obtinendi gratiâ facimus. Talis est actio illius, qui brachium suum chirurgo amputandum porrigit; quia videt se aliter totum corpus conservare non posse. Item nautæ, qui tempestate urgente merces in mare projicit, ad navem & vitam tuendam. Ita multi martyres ad salutem æternam consequendam acerba tormenta & mortes tolerant; alii contrà ad effugiendos cruciatus, Christum ejusque religionem abnegant. Quæritur autem de istis actionibus, utrum sponte factis, an verò potiùs invitè factis annumerari debeant. Respondeo, sponte factis potiùs. Nam etsi absolutè & simpliciter videantur esse invitæ, quia gravate ad eas nos accingimus & mallemus omittere; tamen cùm fiunt, permittatis omnibus circumstantiis sponte suscipiuntur. Nam principium earum est in agente, qui suæ actionis circumstantias novit, & sponte movet membra ad eas exequendum, cùm posset non movere, aut contrà; Ita qui magnam pecuniæ summam dat latroni, ut ipsius manus effugiat, magis est volens in istâ actione, quam nolens; quia

quia etſi absolutè loquendo mallet pecuniam Suam servare quàm latroni dare, tamen ratione vitæ habitæ, quæ pecuniâ pretiosior est, valet pecuniam dare ad illam conservandam. Iterum quæritur, utrum ejusmodi actiones mixtæ per se laudem an vituperium, præmium an pœnam mereantur? Resp. Quandoque merentur laudem; ut si quis Dei aut virtutis amore gravia subeat mala, quemadmodum multi martyres fecerunt. Item Attilius Regulus, qui ut fidem Carthaginensibus datam servaret, prætulit mortem acerbam turpi vitæ; & Anaxarchus, qui, ne amicos proderet, se crudeliter excarnificari à tyranno sustinuit. Quandoque vero vituperium, ut si quis damni alicujus levioris vitandi causâ, faciat id quod non decet; sicut ille qui virgis publicè cædi maluit, quàm contemptorum aliquot florenorum jacturam facere. Quandoque præterea pœnam merentur; ut si quis metu aut spe mundanâ adductus, aliquid naturâ suâ turpe, aut legi divinæ repugnans perpetret; verbi gr. patriam prodat lucri causâ, aut metu mortis Christianam religionem abneget. Denique, aliquando ejusmodi facta veniam aut commiserationem merentur; ut si quis mali alicujus maximi effugiendi causâ, aliud minus subeat, aut aliquid minus decorum faciat, v. gr. stultitiam fingat, quemadmodum fecit David ad vitam conservandum, vel servire malit hosti quàm ab eo occidi. Quæritur denique, Utrum actiones quæ ex vehementi, aliquâ animi perturbatione fiunt, qualis est ira aut amor, sint spontaneæ an invitæ? Resp. Esse spontaneas, tum quia ab interno principio pro-

proficiscuntur, & circumstantiarum ignorantiam aut coactionem prætendere non possunt: tum quia in potestate est hominis affectus suos frænare, ne extra recti & honesti limites exorbitent.

XI. *Actionum in internas & externas divisio; earumque descriptio: & ex utraque simul inter se convenire debeant.*

Secundò, Actiones dividuntur in internas & externas. Cum quâ divisione magnam habet affinitatem illa Logicorum in immanentes & transeuntes. Internæ sunt, quæ intùs in animo peraguntur, & in externos sensûs non incurrunt; ut amare, credere. Huicque pertinent actus voluntatis eliciti, qui à voluntate proximè fiunt, & per seipsum sine ullius alterius facultatis ministerio; ut velle, consentire, eligere, &c. Item illi actus imperati, qui fiunt quidem à voluntate, sed ministerio alterius facultatis internæ; ut intelligere, recordari, &c. Externæ sunt, quæ membris corporeis perficiuntur, & in sensûs externos cadunt; ut cantare, eleëmosynam dare. Huicque pertinent actus voluntatis imperati, qui corporis ministerio exsecutioni mandantur; ut saltare, verberare. Utræque debent semper inter se convenire, atque adeo in viris probis conveniunt, quorum animus cum factis consentit. Sed tamen sæpe in improbis & hypocritis dissident, qui externam honestatis speciem affectant, licèt ab eâ corde sint alieni. Ab internis autem actionibus, præcipuè coram Deo cordium inspectore, censentur viri boni aut mali, cum per eos non stetit quominus eas exsequerentur exteriùs.

XII. *De actionibus bonis, malis, & adiaphoris.*

Tertiò, Actiones sunt vel bonæ seu honestæ, vel malæ seu turpes, vel adiaphoræ seu indifferentes.

rentes. Bonæ sunt quæ cum regula boni moralis, quæ est recta ratio seu lex, congruunt. Malæ vero quæ ab ea discrepant. Indifferentes quæ cum ea nec congruunt nec discrepant, ut Ambulare.

XIII. *An omnes bonæ actiones sint æqualiter bonæ.*

Hic quæritur, Utrum omnes bonæ actiones sint æqualiter bonæ, & omnes malæ æqualiter malæ? Resp. Stoici utrumque affirmarunt; sed nos negamus. Et primò quidem de bonis dicimus, alias aliis esse meliores & honestiores. Inæqualitas autem ista bonitatis, est vel speciei, vel gradus. Inæqualitas speciei locum habet in rebus diversæ naturæ. Sic melius est amare Deum quàm parentes, & melius amare parentes quàm extraneos. Item melius est appetere mortem pro veræ religione aut pro patriâ, quàm temperantiam servare in cibo & potu. Inæqualitas vero graduum, locum habet in rebus ejusdem naturæ: quæ, cum magno ardore & alacritate peraguntur, meliores sunt quàm si aliter fierent. Ita præstantior fuit oratio Danielis, qui ne proposito quidem mortis periculo, ab eâ avocari potuit, *Dan. vi.* quàm Davidis invocantis Deum in suâ necessitate. Et præstantior eleëmosyna illius pauperculæ viduæ, quæ duo minuta misit in gazophylacium, quàm divitum qui magna munera in illud conjiciebant, *Luc. xxi.* Objicitur, sicut lineâ rectâ non datur rectior, ita rectâ actione rectiorem non posse dari. Sed resp. Non eandem esse rationem rerum spiritualium, & corporearum. Quia recta linea unico tantum modo fieri potest; cum sit brevissima inter eosdem terminos, via quam tenet est omnino indivisibilis: sed via bonarum actionum latitudinem quandam habet, quâ fit, ut quæ ma-

gis à pravis remotæ sunt, meliores sint iis quæ minus.

XIV. *An malæ actiones sint etiam æqualiter malæ.*

Secundò, quod ad malas actiones attinet, aliæ etiam aliis sunt pejores; idque tam secundùm speciem, quàm secundùm gradum. Secundùm speciem: ut occidere aliquem, majus est scelus, quàm ei convitiari. Secundùm gradum, etiam pejores sunt quæ à scientibus fiunt quàm ab ignorantibus, etiamsi illorum ignorantia sit culpabilis; pejores sunt quæ planè sponte fiunt, quàm mixtæ, quæ quodammodo invitæ sunt. Ideoque legislatores graviores pœnas quibusdam peccatis constituerunt, quàm aliis; ut homicidio, quàm simplici furto. Et Christus dicit, *tolerabilius fore in die judicii Tyro & Sidoni, quàm Corazim & Bethsaida, Mat.* xi. 22. Et comparens coràm Pilato, inquit, *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet, Joan.* xix. 11. Objicitur contrà, pravas actiones esse tanquam transilitiones linearum. Eum enim, qui semel virtutis mediam lineam transiliit, peccare; nec quicquam ad augendam transilitionis illius culpam facere, longiorem in transiliendo progressum. Sed resp. eandem esse hic fallaciam quæ in præcedente argumento, ex dissimilitudine rerum spiritualium & corporearum ortam. Nam quemadmodum medium virtutis non est indivisibile, instar lineæ quæ nullam latitudinem habet, sic etiam non uno modo ab eo recedi potest. Et longiùs ab eo recedendo magis peccatur, quàm si minùs recederetur; ut qui semel à via rectâ aberravit, quantò magis in itinere progreditur, tantò magis à propositâ metâ aberrat.

Quæritur etiam, an actiones quædam dentur verè indifferentes? Resp. Aliqui concedunt in genere tales dari, sed de singulis hujusmodi actionibus id negant. Omnes enim singulares actiones esse vel bonas vel malas, nullas indifferentes, v. g. ambulare quidem in genere esse indifferens, sed in specie necessario aut bonum aut malum esse; bonum quidem, si bono fine id fiat & cum debitis circumstantiis; malum verò, si contrà. Sed contradictionem videtur implicare, aliquid in genere consideratum verè esse indifferens, & in specie nunquam posse esse tale. Et si ambulare in genere est indifferens, id non necessariò bonum aut malum reddetur in specie, propter finem, aut circumstantias, cùm illa quoque possint esse indifferentia; ut relaxatio animi hoc vel illo tempore vel loco, ubi nihil est quod magis bonum quàm malum, aut malum quàm bonum dici possit. Similiter, non tantùm indifferens in genere facere vestem ex hoc vel illo genere panni, sed etiam mihi in specie; item hunc vel illum modum observare, indifferens est, si in agro meo serum hordeum vel frumentum, & infinita ejusmodi. Sed objicitur, quoties homo agit, tenetur agere ut homo, id est rationabiliter seu conformiter rectæ rationi, Ergo nihil eorum quæ agit, potest esse indifferens. Resp. Illum rationabiliter satis agere, qui nihil adversum rectæ rationi facit. Sed rectitudinem moralem non tenetur sequi in illis actibus indifferentibus, de quibus recta ratio nihil præcipit, & quæ æquè bene hoc atque illo modo fieri possunt.

XV. *An dentur actiones quædam verè indifferentes.*

I

II

XVI. *An bonitas & malitia, non tantùm insint actionibus, sed omissionibus etiam.*

Quæritur denique, annon bonitas & malitia, non tantum locum habeant in actionibus; sed etiam in omissionibus? Resp. Nullum esse dubium quin in his quoque reperiantur. Bona enim est illa omissio, quâ omittitur aliquis vitiosus actus rectæ rationi, aut legi divinæ repugnans; ut omissio furti, aut adulterii, cùm perpetrandi offertur occasio. Contrà, mala est omissio, quâ omittitur actus aliquis nobis præceptus; ut omissio precum, aut eleëmosynæ pauperi dandæ. Sed dubitatur, utrum omissio ejusmodi sit mala, ubi abest expressus nolendi actus, & ex purâ tantum negligentiâ proficiscitur. Resp. Negligentiam esse peccatum, quia ad officium nostrum attendere debemus. *Oportet*, inquit Apostolus, *ad Hebr.* xi. 1. *attendere iis quæ audivimus, ne quando perfluamus.* Et videmus negligentiâ incendi domos, cùm ab igne non benè caveatur, & perire naves omissione, cùm sentina non exhauritur.

CAPUT IV.

De affectibus in genere.

I. *Affectuum definitio.*

HActenùs de actionibus, sequitur ut agamus de affectibus, qui etiam passiones & perturbationes à Philosophis appellantur. *Affectus sunt motus animæ, cum non naturali mutatione corporis, ab objecto bono vel malo excitati, ad illud consequendum, hoc vero effugiendum.*

II. *Data definitionis vocabula explicatio.*

Dico primum esse *motus animæ*. Non enim

sunt

sunt facultates animæ naturales, multóque minus habitus consuetudine acquisiti; oportet ergo esse animæ motus. Cum autem omnis motus à facultate naturali procedat, & duplex sit animæ facultas, alia cognoscens, alia appetens; affectus ab hâc, non ab illâ originem suam ducunt. Nam quod Stoici dicunt affectus esse opiniones, est à veritate alienum. Idque ex eo patet 1. Quod opiniones sunt in cerebro, affectus vero in corde. 2. Quod opiniones semper sunt languidæ, nullamque in corpore mutationem efficiunt, utpote quæ sine ullo cordis motu concipi possint; affectus vero sæpe sunt valdè vehementes, & totum corpus concutiunt. Experientia enim docet, animo affectibus perturbato, spiritus & sanguinem modò ad extremas corporis partes se effundere, modò ad interiora recurrere; atque ita non solùm cor, sed etiam reliquum corpus variè agitari. Sed si Stoici affectus opinionum titulo insignirent, quia ex prævià opinione facultatis cognoscentis originem trahunt; etiamsi impropriè loquerentur, non tamen malè sentirent. Prout enim res cognoscendi facultati oblatæ, judicantur ab eâ esse bonæ vel malæ, ità quoque affectus moventur.

VI

V

III. *Causæ affectuum generationem concurrentes; & quo ordine proceditur.*

Variæ sunt causæ, quæ ad affectuum generationem concurrunt. Nam totalis est homo, partialis anima, instrumentalis facultas appetens, conditio seu causa sine quâ non objecti apprehensio, idque hoc ordine. 1. Objectum sensibus se offert, indeque affectus suam ducunt originem, secundùm id quod vulgò dicitur, Objecta movent sensum. 2. Objectum sensibus perceptum, cognoscitur & judicatur esse bonum vel

malum. 3. Bonum appetitur cum voluptate; malum refugitur cum dolore. 4. Hinc oritur affectus, quo id quod appetimus consequi studemus, & quod aversamur à nobis removere contendimus. 5. Denique spiritus, tàm in corde quàm in cerebro, & per spiritum sanguis excitatur, unde totum hominis corpus commovetur & alteratur.

IV. *Humorum & Spirituum temperies, vel intemperies affectus etiam concitant; eorumque sunt instrumenta, per quæ suas edunt operationes.*

Deinde humorum & spirituum temperies & intemperies plurimum adjumenti afferunt ad affectuum concitationem, eorumque sunt instrumenta per quæ suas operationes edunt. Hinc videmus homines sanguineos esse hilares propter sanguinis & spirituum puritatem & luciditatem: biliosi vero temperamenti plerumque sunt ad iram propensi, propter sanguinis calorem & spirituum tenuitatem: melancholici autem ad tristitiam & metum proniores sunt, propter sanguinis crassitiem & spirituum impuritatem & obscuritatem. Phlegmatici denique complexionis affectibus minus sunt obnoxii, propter sanguinis aquositatem & spirituum frigiditatem.

V. *Proximum & immediatum affectuum subjectum est Cor, & quâ de causâ.*

Sed quodnam est proximum & immediatum affectuum subjectum? Resp. Cor, quod maximè ab iis afficitur & commovetur. Nam sicut immoderata animi intensio, quæ cerebri opus est, id de sede suâ deturbat, & insaniam parit; ita lætitia & tristitia nimia aliquando mortem etiam repentinam affert. Quod fieri non posset, nisi hæ commotiones cor vitæ fontem rectè invaderent. At contrà objicitur vulgatus ille versiculus:

Cor

Cor timet, at pulmo loquitur; fel commovet iras;
Splen ridere facit; cogit amare jecur.

Proinde proximum omnium affectuum subjectum non esse cor. Sed resp. Fel non tam esse iræ, splenem lætitiæ, & jecur libidinis subjecta, quàm organa seu instrumenta, per quæ suas functiones exerceant, & per suam peculiarem temperiem efficere, ut magis minúsve in hos aut illos affectus simus propensi.

VI. *In quâ Animæ parte resideant affectus.*

Quæritur etiam inter illos qui animam distinguunt in partem rationalem & irrationalem, in quâ parte resideant affectus. Ad quod illi (qui nihil in animâ humanâ irrationale agnoscunt præter sensus externos, & phantasiam referunt ad intellectum, appetitum sensitivum ad voluntatem;) respondent uno verbo, istam quæstionem esse inutilem. Alii verò dicunt, excitari affectus tam in parte rationali quàm irrationali. Idque ita probant: Cùm triplex sit appetitus species, naturalis, animalis, & spiritualis; naturalis, qui est improprie dictus appetitus, cùm sit propensio sine ullâ cognitione, quæ etiam in plantis reperitur, in parte irrationali residere. Animalem quoque, qui ex sensitivâ boni & mali cognitione exsurgit, in irrationali etiam esse, veluti iram ex læsione corporis, aut subitâ fame alimenti. Sed spiritualem, qui oritur ex cognitione boni & mali intellectivâ, in rationali esse; qualis est amor Dei & virtutis, odium peccati & Satanæ, spes vitæ æternæ, metus infamiæ, & similes. Ideoque hominem pluribus esse affectibus obnoxium quàm bruta, cùm brutorum affectus sint tantùm in appetitu sensitivo, homi-

nis vero in rationali etiam seu voluntate. Ad quod tamen alii respondent, id non inde fieri quod duplicis sint generis affectus, sed quod alii à solo sensûs judicio, alii vero à ratione, mediante sensu, excitentur.

VII. *Affectuum finis.*

Finis affectuum est conservatio vitæ animalis, & omnium actionum alacritas. Nam sine iis, inquit Seneca, languebit omnis actio, & vis ac vigor animi resolvetur. Concessi ergo sunt à naturâ animalibus, ut bonum sibi conveniens persequantur, & malum fugiant. Hinc dolor datus est, instar stimuli, ad vitæ consulendum: Voluptas vero nobilioribus animalis functionibus, præsertimque necessariis ad individui aut speciei conservationem, adjuncta est instar condimenti. Nam sublato sensu doloris & voluptatis torperent animalia, & neque ad pabulum, neque ad generationem, neque ad prolis educationem, & similia officia se accingerent.

VIII. *Affectus omnes suâ naturâ malos non esse, firmissimis probatur argumentis.*

Hinc judicari potest, quid sentiendum sit de nobili illâ controversiâ, inter Stoicos & Peripateticos agitatâ; Utrum affectus omnes naturâ suâ mali sint, ideoque oporteat sapientem esse ἀπαθῆ, carere affectibus; vel excessus eorum tantum sit damnandus, sufficiatque si sapiens sit μετριοπαθής, mediocriter affectibus tangatur. Ubi, ut vulgò creditur, prius affirmabant Stoici, posterius verò Peripatetici; & nos cum illis. Nam 1. Quod est ita necessarium homini, ut eo carere nullo modo possit, id non est censendum malum, nec debet aut potest penitus eradicari. At tales sunt multi affectus, ut modò ostensum est. Ergo non sunt mali. 2. Quod Deus ipse ab initio naturæ hominum

infe-

insevit, & locum habuit in illis ante peccatum, non est vitiosum nec penitùs extirpandum. At tales sunt quidam affectus, ut ζῆλος, & amor mutuus conjugalis; Ergo non sunt vitiosi. 3. Quod Deus in verbo suo nobis mandat, id non est malum, nec à sapiente abesse debet. At quosdam affectus mandat, ut misericordiam erga afflictos, *Mat.* v. 7. 4. Christus, omnis perfectionis exemplar, non fuit expers affectuum. Nam legimus eum lætatum fuisse ob felicem successum prædicationis Evangelii, *Luc.* x. 21. & tristatum fuisse ob mortem Lazari, *Joan.* xi. 35. Misericordiâ commotum fuisse super turbis, quod essent dissipati & disjecti quasi oves non habentes pastorem, *Mat.* ix. 36. Item quod inediâ premerentur, nec haberent unde vescerentur, *Mat.* xv. 2. &c. 5. Imo Deo ipsi nonnulli affectus tribuuntur, ut misericordia, amor, ira, odium, &c. Et quamvis ἀνθρωποπαθῶς id sit intelligendum, & Dei naturæ convenienter, tamen inde apparet ejusmodi affectus toto suo genere non esse vitiosos. 6. Si affectus non sunt ad mediocritatem reducendi, sed penitùs extirpandi; virtus quæ in illis moderandis occupatur, simul peribit: nam si tollas metum, non erit amplius fortitudo; si cupiditatem, non erit temperantia; si iram, non erit mansuetudo; si honoris ambitum, non erit modestia. 7. Non sunt extirpanda ea, quæ virtutum possunt esse instrumenta. At tales sunt affectus. Amor enim virtutis, & odium peccati, inserviunt nobis ad illam majore studio sectandam; istud vero fugiendum, quam sine illis facturi essemus. Et sine misericordiâ erga afflictum, vix induci poteri-

mus

mus ad ei benefaciendum. Ergo hæc sententia naturam evertit, & virtuti est inimica.

IX. *Occurritur objectionibus contra hanc sententiam lata.*

At contra objicitur: Affectus pervertere rationem, & rectum de rebus judicium; homines que incitare ad omnis generis peccata & vitia, ut quotidiana experientia docet; Ergo esse naturâ suâ malos, & penitùs extirpandos. Resp. Falsum esse, omnes affectus rationem pervertere, & vitiosum esse incitamenta; Id enim tantum convenit immoderatis, & qui limites à Deo & naturâ præscriptos excedunt. Sed quis dicat eum, qui ex amore virtutis sectatur virtutem, & ex odio vitii fugit vitium, rationem pervertere, cum illud potiùs sit eam perficere? Attamen, inquiunt, videmus hominem affectibus frequentius ad malum, quàm ad bonum inclinari. Verum est. Sed id fit non culpâ affectuum, sed rationis, quæ cum affectibus dominari deberet, se sub eorum servitutem redigi patitur. Cui adde, quod vitiorum exempla magis obvia sunt, quàm virtutum, & vitia in rebus sensui evidentibus consistunt, cum virtus in arduo & difficili loco posita sit. Objicitur etiam, invidiam, quæ est tristitia de alieno bono, & commiserationem, quæ est lætitia de alieno malo, esse naturâ suâ malas; Ergo quoddam saltem affectus esse naturâ malos, qui proinde non debeant aut possint ad mediocritatem reduci, sed penitùs tolli. Resp. Invidiam in genere consideratam nihil aliud esse quàm tristitiam, & sic esse indifferentem. Sed si spectetur secundùm specificam suam rationem, quatenus videlicet de alieno bono concipitur, esse quidem planè malam; at tunc, non esse affectum naturalem,

lem, verum in vitiorum numero reponendam.

Quæritur etiam, an affectus sint in hominis potestate? Resp. Primos eorum motus sæpe omne rationis judicium antevertere, meréque esse naturales, quos non possimus impedire, ne exoriantur. Sed tamen posse nos, si allaboremus, eos in ordinem cogere, & impedire ne exorbitent. Quemadmodum facile est impedire, ne aves in capite nostro nidificent, licèt ne id prætervolent, impedire non possimus. Alioquin, si affectus planè non essent in nostrâ potestate, vanæ essent omnes leges & præceptiones, quæ de sedandis aut moderandis affectibus dantur; nemoque jure posset vituperari aut puniri quod ipsis fræna laxaverit: frustrà quoque pueri à teneris instituerentur in virtute, & assuefierent affectibus gaudii & doloris moderati. At, inquies, Affectus rectæ rationis imperium non audiunt; Ergo non est in potestate nostrâ eos moderari. Resp. Etiamsi quod ad ortum & primos motus non subjaceant rationis imperio, tamen in progressu ei subjici posse, & in ordinem cogi: quemadmodum equus nondum domitus, qui fræno parere recusat, & sessorem excutit, ita equisonis industriâ domari potest, ut fræni sit patiens, & ad sessoris arbitrium se moveat & quiescat.

X. *Utrùm affectus sint in hominis potestate.*

Omnium affectuum communia adjuncta sunt voluptas & dolor. Aliquando autem hæ voces usurpantur pro affectibus gaudii & tristitiæ, de quibus postea agendum erit: aliquando verò pro dispositione animæ, quæ quorumlibet affectuum communia adjuncta: porro, quid sit voluptas, frui dicatur.

XI. *Quo sensu voluptas & dolor sint omnium affectuum communia adjuncta: & quis eâ frui dicatur.*

ctuum

ctum motus comitatur: posteriore verò sensu nos hîc accipimus. Voluptas est perfectio operationum facultatis cognoscentis. Duplex autem est facultas cognoscens, nempe sensus & ratio. His enim homines objecta percipiunt, & dijudicant: ideóque voluptatis & contrarii doloris mensuræ sunt. Unde apparet ut quis voluptate frui possit, ipsum utráque hâc facultate, vel saltem alterutrâ, esse præditum oportere. Quare non tantum homines adulti, qui cum sensu rationis usum habent, sed etiam infantes & bruta, quæ sensibus valent, voluptatis sunt capacia. Et in Deum etiam atque Angelos, licèt sensibus destitutos, cadit voluptas propter intellectûs excellentiam.

XII. *In quibus consistat perfectio operationum facultatis cognoscentis.*

Perfectio verò operationum facultatis cognoscentis duabus in rebus consistit; quarum una facultatem ipsam respicit, altera verò ejusdem objectum. Quod ad facultatem cognoscentem attinet, requiritur ut sit benè disposita, hoc est secundùm naturam, & ut in actione suâ non impedistur. Alioquin non inde orietur voluptas sed dolor. Ita qui oculis dolent, nullam ex visione delectationem percipiunt, sed potiùs dolorem; idemque contingit, cùm impedimentum aliquod iis objicitur, quod actionem imperfectam reddit. Quod ad objectum verò cognoscendum, debet esse benè affectum, & cum facultate cognoscente, ejusque instrumento convenire. Ita nulla voluptas oritur ex intuitu rei horrendæ, vel nimis lucidæ, quæ oculos lædit. Voluptas igitur requirit proportionem objecti & facultatis cognoscentis, quâ turbatâ voluptas perit, dolorque in ejus locum succedit. Hæcque

est

est causa cur voluptas non possit esse perpetua, sed quæ prius voluptatem attulerunt, postea fastidium afferant & dolorem.

XIII. *Voluptatis variæ species; quarum, quæ sint præstantiores, & quibus de causis.*

Voluptatis variæ sunt species, nam 1. Voluptas alia est animi, alia corporis. Voluptas animi est, quæ sic animo percipitur, ut ad corpus nullo modo pertineat: qualis est quæ oritur ex scientiâ, vel ex sensu dilectionis Dei. Voluptates autem animi multum corporeis præstant, idque variis de causis: 1. Ob facultatem in quâ existunt, quæ corpore nobilior est. 2. Ob excellentiam rerum, à quibus oriuntur. 3. Quia constantiores sunt, & fastidium nunquam pariunt, ut aliæ.

XIV. *Voluptas corporis, quænam, & quatuplex sit.*

Voluptas corporis est, quæ sensu percipitur, qui corporeus est; & primò atque immediatè corpus afficit, deinde per corpus animum. Voluptatis corporeæ tot sunt differentiæ, quot sunt sensus. Alia enim est voluptas visûs, alia auditûs, alia odoratûs, alia gustûs, alia tactûs. Priores tres sunt puriores, quia contactum corporeum rei, quæ voluptatem excitat, minùs requirunt; & sic ad naturam voluptatum animi quodammodo accedunt. Posteriores verò duæ sunt impuriores, quia contactum illum omninò postulant. Præterea, voluptates gustûs & tactûs brutis etiam conveniunt: Illæ verò quæ oculis, auribus & naribus percipiuntur, in bruta non cadunt nisi per accidens, quatenùs imaginationem concitant voluptatum ad gustum & tactum pertinentium. Nec enim delectantur conspectu egregiæ alicujus picturæ, aut concentûs musici auditu, aut rosarum & aromatum olfactu.

Etiam-

XV. *Quare homines sint promptiores ad consectandas voluptates corporis, quàm animi.*

Etiamsi autem voluptates corporis, præsertim quæ tactu & gustu percipiuntur, ignobiliores sint voluptatibus animi, tamen homines ad eas consectandas promptiores sunt; idque triplici de causâ. 1. Quia voluptates corporis nobis sunt notiores, utpote qui iis statim à puritiâ sinus assuefacti; animi autem voluptates nonnisi viri facti percipimus, & postquam in virtute intellectus vel morum progressus aliquos fecimus. Illa autem quæ notiora sunt, magis vulgò appetimus, quàm minùs cognita. 2. Quia voluptates corporis sunt faciles obtentu; ad veras autem animi voluptates nonnisi magno labore pervenitur. Facilia autem nos alliciunt, à difficilibus verò abhorremus. 3. Voluptates gustûs & tactûs solet præcedere dolor quidam, ex defectu naturæ proficiscens, qui cùm sit molestus, ideóque cum depellere studeamus, vehemens voluptatum istarum quæ sunt remediorum instar, quibus tollitur aut mitigatur, desiderium accenditur. In voluptatibus autem animi nihil tale occurrit.

XVI. *Aliæ Voluptatis species; & quòd omnes voluptates nec laudandæ sint, nec omnes vituperandæ.*

2. Voluptas alia est honesta, alia turpis, alia indifferens. Voluptas honesta ea est, quæ ex rebus honestis percipitur, v. gr. ex actione virtutis. Turpis est quæ ex rebus turpibus percipitur, qualis est ex quam percipiunt gulosi, cùm se cibo & potu ingurgitant. Indifferens verò est, quæ percipitur ex rebus indifferentibus, quæ neque honestæ neque turpes sunt, ut ex deambulatione. Omnes itaque voluptates non sunt laudandæ, ut Epicuro visum est, nec omnes vituperandæ, ut Platoni & Stoicis placitum est. Sed illæ sunt laudandæ quæ rectæ ratio-

tioni,

tioni, & legi Dei consentaneæ sint; vituperandæ quæ illi adversantur.

XVII. *Voluptas alia per se, alia per accidens; & an omnes animi voluptates sint bonæ.*

3. Voluptas alia est per se, alia per accidens. Voluptas per se ea est, quam omnes qui secundum naturam bene affecti sunt, communiter expetunt. Secundum animum autem bene affecti sunt sapientes & virtute prædit, & secundum corpus, qui prospera valetudine fruuntur. Voluptas per accidens est, quam illi expetunt, qui affectu aliquo præter naturam laborant, sive is animi sit, sive corporis, quales sunt voluptates insipientium & ægrorum. Hinc respondeo potest ad quæstionem quæ fit, an omnes animi voluptates sint bonæ. Affirmativa enim vera est de animo bene disposito, Nam qui talis est, malis non potest delectari. At si pravus est & male dispositus, aliquando etiam ex malis voluptatem capit. Talis est quæ dicitur ἐπιχαιρεκακία, licet illa potius sit affectus, quam vere & proprie dicta voluptas.

XVIII. *Quid sit voluptas communis, quid propria.*

4. Voluptas est vel communis vel propria. Communis, quam omnes naturaliter expetunt; qualis est, quæ ex cibo & potu percipitur, &c. Propria, quam unusquisque propter peculiarem idiosyncrasiam seu temperamentum quærit; unde dicitur, Trahit sua quemque voluptas. Alia que est, non solum in singulis animantium speciebus, sed etiam ejusdem speciei individuis.

XIX. *Doloris definitio; & quod eodem modo dividitur, quo voluptas.*

Dolor est imperfectio operationum facultatis cognoscentis. Imperfectio autem illa, vel a læsa vel ab impedita facultate proficiscitur, vel ab objecto facultati non proportionato. Eodem modo dividitur dolor quo voluptas. Quot enim modis dicitur unum oppositorum, totidem etiam

am alterum dicitur. Dolor ergo 1. est vel animi vel corporis. Dolor animi est, qui sic animo percipitur, ut ad corpus nullo modo pertineat; qualis est, qui oritur ex cognitione peccati, aut sensu iræ Dei. Dolor corporis est, qui sensu percipitur, & primo atque immediatè corpus afficit, & per corpus animum. Estque similiter, ut voluptas, vel visus, vel auditus, vel olfactus, vel gustus, vel tactus. 2. Dolor alius est honestus, alius turpis, alius indifferens. Dolor honestus est qui honestam causam habet; ut si quis doleat quòd vitia regnent, quòd nomen Dei blasphemetur. Dolor turpis est, qui turpem causam habet, ut si quis doleat quòd alius sit felix. Huc spectat illud Pauli, *Quæ secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur*, 2 Cor. vii. 10. Dolor indifferens est, qui indifferentem causam habet; & talis est corporeus, qui sensibus percipitur in rebus quæ nec honestæ nec turpes sunt moraliter. 3. Dolor alius est per se, alius per accidens. Dolor per se est, quem communiter percipiunt qui animo & corpore benè sunt affecti, ex rebus quæ alterutri nocent. Dolor per accidens est, qui ex malâ animi vel corporis habitudine proficiscitur, quâ fit ut doleamus de rebus ob quas dolere non convenit. 4. Dolor est vel communis, vel propius. Communis, quem omnes naturaliter sentiunt, ut ex contusione, solutione continui. Propius, quem singuli sentiunt ob peculiare temperamentum, unde fit ut quæ alicui cibus sunt, alii venenum sint; ut cicuta, quâ delectantur turdi, homines verò interimit.

Ad

XX.

De affectuum moderamine in genere, & quomodo perficiatur.

Ad moderandos affectus, causæ ex quibus oriuntur primò cognoscendæ sunt, deinde convenientia iis remedia sunt adhibenda. Quemadmodum enim in curatione morborum corporeorum ad ista duo attendi solet, ita etiam faciendum est in curandis affectibus qui sunt animi ægritudines. Sed ista in genere tantùm hîc spectantur, in specie postea de iis agitur, cum de singulis affectuum speciebus differetur. Affectuum causæ aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ causæ sunt, quæ extrinsecus adveniunt, ut injuriæ, honoris vel opum jactura, &c. Internæ causæ sunt, quæ corpori vel animo nostro adhærent. Corpori, ut dolores qui ipsum discruciant, & propter arctam quæ est inter corpus & animam conjunctionem affectus in animâ excitant. Animæ, ut naturæ nostræ corruptio, & ad malum propensio.

XXI.

Quanam remedia iis curandis affectibus sint adhibenda.

Remedia affectuum sunt, vel prophylactica vel therapeutica. Prophylactica sunt, quæ ad præcavendos affectus faciunt, ne nos invadant. Therapeutica sunt, quæ sanant eos postquam nos invaserunt. Utraque triplicis sunt generis, nimirum vel naturalia, vel moralia, vel supernaturalia. Naturalia sunt, quæ petuntur à medicinâ, quæ pravum corporis temperamentum corrigendo, simul animi perturbationibus medetur. Sic etiam David pulsans citharam, Saulem à melancholico affectu sublevavit. Moralia sunt, quæ petuntur à ratione, ut sunt hortationes, consilia, exempla, &c. Supernaturalia sunt, quæ verbum Dei nos docet, quo pertinent preces sive auxilii divini imploratio, una cum jejunio & carnis maceratione, ut spiritui reddatur obsequentior.

CAPUT V.

De affectibus in Specie.

I. *De affectuum speciebus; quot numero sint, ubi sedem habeant, & quomodo dividantur.*

SPecies affectuum primariæ sunt duæ; alii enim sunt simplices, alii mixti. Simplices affectus sunt undecim, quorum sex sedem habent in facultate animæ concupiscente, nempe amor & odium; desiderium & fuga; gaudium & tristitia; quinque vero in facultate animæ irascente, nempe spes & desperatio; audacia & timor, denique ira. Facultas autem concupiscens est, quæ versatur circa bonum vel malum simpliciter & absolutè spectatum, abstrahendo nimirum à ratione difficilis. Facultas vero irascens est, quæ versatur circa bonum vel malum arduum, hoc est circa bonum quatenus est obtentu difficile, vel malum vitatu difficile. Affectus dividuntur vel secundum subjecta, vel secundum adjuncta, vel secundum species. Secundum species quatuor sunt summa affectuum genera, desiderium & fuga, gaudium & tristitia; quorum duo priora versantur circa bonum & malum absens, duo vero posteriora circa præsens: ita placuit Stoicis. Secundum adjuncta, alii sunt lenes, alii vehementes, alii citò transeunt, alii perdurant, &c. Secundum subjecta, alii sunt juvenum, alii senum, alii divitum, alii pauperum, &c. Compositi sunt sex, videl. misericordia, invidia, æmulatio, verecundia, indignatio, & epicharmecacia.

Pro-

II. *Quâ ratione probetur undenarius affectuum simplicium numerus.*

Probatur autem undenarius numerus affectuum simplicium, hâc ratione; quòd cùm facultas concupiscens versatur circa bonum, ut bonum est, sine consideratione an sit præsens vel absens, inde nascitur Amor, cui opponitur odium mali. Cùm verò versatur circa bonum ut absens & obtinendum, excitatur desiderium, cui opponitur fuga mali. Cùm denique versatur circa bonum ut præsens & possessum, nascitur gaudium, cui opponitur tristitia de malo præsenti concepta. Pariter, cùm facultas irascens versatur circa bonum arduum, ut absens, sed tamen comparabile, oritur spes; & cum æstimatur obtineri non posse, desperatio. Cùm verò respicit malum absens, idque apprehendit ut imminens & vitatu difficile, inde nascitur timor; & cum æstimatur propulsari posse, audacia. Denique, cùm versatur circa malum præsens, quòd est repellendum, exsistit ira. Non datur autem passio quæ per se directè sit iræ contraria. Nam ἐκγνησία lenitudo, quæ ei videtur opponi, vel nascitur ex apprehensione periculi, & sic est timoris species; vel oritur ex motivo pietatis, & est virtus patientiæ, non affectus.

III. *Amoris definitio, & objectum; & quod tàm ab amicitiâ, quàm à dilectione sit distinguendus.*

Amor est affectus complacentiæ in bono, quatenus bonum est, sine consideratione an sit præsens vel absens. Objectum amoris est bonum, sive verum bonum sit, sive tantùm apparens. Differt ab amicitiâ, quæ est amor mutuus ab utrâque parte cognitus, atque officiis reciprocis declaratus; & à dilectione, quæ proprie est amor cum electione, ac proinde non est affectus à solâ naturâ excitatus.

IV. *Amoris triplex divisio; quibus modis amor personæ excitetur, & quænam sit interna illius causa.*

Amor vulgò distinguitur in amorem amicitiæ & amorem concupiscentiæ. Amor amicitiæ, qui etiam benevolentiæ vocatur, est quo aliquid amatur propter ipsum, non verò propter delectationem aut utilitatem ex ipso percipiendam. Sic amamus nos propter nos ipsos, & matres amant prolem recenter natam. Amor concupiscentiæ est, quo amatur aliquid propter delectationem aut utilitatem inde redundantem. Sic amamus cibum & potum, quatenus jucundi sunt & vitæ conservandæ utiles. Amorem personæ primò solet excitare oris venustas, & pulchritudo, quæ in oculos incurrit & tacitâ quâdam vi ad sui amorem allicit. Secundò amorem excitat similitudo, sed præsertim ea quæ in moribus, affectibus & studiis cernitur; quo etiam pertinent familiaritas & convictus: tertiò amorem eliciunt comitas, mansuetudo, liberalitas: quartò ipse amor amorem excitat. Nam, ut inquit Seneca, vis philtrum sine poculo; si vis amari, ama. Interna verò amoris causa est calor & subtilitas sanguinis; unde fit ut homines temperamenti sanguinei proniores sint ad amorem. 2. Amor est vel personæ, vel rei. Personæ, Dei, hominum. Rei, ut divitiarum. Sub amore personæ comprehenduntur ea quæ personæ adhærent, & ob quæ amatur, ut forma, ingenium, probitas, &c. 3. Amor alius est honestus, alius turpis. Honestus amor est, quo amamus quæ oportet vel licet amare, & prout amare oportet. Turpis amor est, quo amamus quæ non licet, vel non eo modo quo oportet.

V. *Quot sint Amoris effectus.*

Amoris effectus sunt varii. Primus est assimi-

latio,

latio, quâ amans amato se conformare studet. Secundus est unio, per quam amans amatæ personæ consortium quærit, vixque ab illâ se unquam divelli patitur, de eâ cogitare & loqui semper solet. Unde vulgatum illud, anima magis est ubi amat, quàm ubi animat. Idque indicat scriptura, cùm dicit de Jonathane, animam ipsius conglutinatam fuisse animæ Davidis, 1 *Sam.* xviii. 1. Tertius est consiliorum & bonorum inter amicos communio. Quartus est zelus, quo amans removet obstacula, quibus rei amatæ possessi vel impediri posset, vel retardari. Solus enim vult amare, & solus amari, tertiumque in consortium non admittit.

VI. *Quòd amor honestus in nobis excitandus sit, turpis verò eradicandus, & qui.*

Amor honestus, qualis est Dei, parentum, liberorum, conjugum, virtutis, est excitandus in nobis & fovendus. Sed turpis eradicandus. Remedia adversus illum sunt otii fuga; Nam otia si tollas, &c. David otiosus tentatus fuit, &c. Parcimonia in cibo & potu; nam sine Cerere & Baccho friget Venus. Avertendi sunt oculi à re, quam non licet amare; precibus vacandum, & lectioni Sacrarum literarum; cœlestia sunt amanda. Sanguis etiam aliquando detrahendus, qui calore suo & copiâ affectum illum accendit.

VII. *Odii definitio, divisio, causæ, effectus, & remedium.*

Amori opponitur *odium*, quod est affectus displicentiæ in malo, quatenus malum est, sine consideratione an sit præsens vel absens. Estque vel personæ, vel rei. Illius causæ & effectus patent ex iis quæ de amore dicta sunt, cùm contrariorum contraria sint attributa. Remedium hujus affectus est charitas, quâ qui præditus est, ita vitia oderit, ut personas amet,

easque ad saniorem mentem reducere conetur.

VIII. *Quid sit desiderium, & quot modis ab Amore differat.*

Desiderium est affectus erga bonum absens, quod ut conveniens fuit apprehensum. Dicitur etiam concupiscentia, voce hac strictius acceptâ, cum generaliter omnes affectus significet, & speciatim eos qui sunt in facultate concupiscente. Differt ab amore duobus modis. 1. Quia amor versatur circa rem quæ habetur, tam præsentem quam absentem, desiderium vero circa rem habendam, eamque absentem. 2. Quia amor est vel personæ vel rei, desiderium vero est tantum rei. Illius tamen eædem ferè sunt causæ & effecta quæ amoris. Est item aliud honestum, aliud turpe. Desiderio opponitur *fuga*, quæ est affectus quo malum absens aversamur, quod ut inconvenies apprehendimus.

IX. *De gaudio, & quomodo ab amore differat; ejusdem causæ, effectus, & remedia.*

Gaudium est affectus, quo erga bonum præsens & possessum ferimur. Vocatur etiam lætitia, delectatio, voluptas, voce voluptatis angustiùs quàm antea acceptâ. Differt etiam duobus modis ab amore, 1. Quia gaudium bonum tantum præsens respicit, amor tam ad absens quam ad præsens refertur. 2. Quia gaudium circa rem propriè versatur, amor verò tam circa rem quàm circa personam. Easdem etiam habet in genere causas & effecta quæ amor. Speciatim verò gaudium cor dilatat, quam dilatationem sequitur diffusio sanguinis & spirituum ad corporis partes extremas. Sanitatem item parit vel tuetur, cùm ejus motu recreantur spiritus vitales & purificantur. Immodicum tamen gaudium, præsertim repentinum, periculosum est, quia in eo nimio impetu spiritus vitales ex corde erumpunt, unde concidit facultas

vitalis,

vitalis, & mors aliquando sequitur. Præterea omne gaudium ex rebus corporeis, cum diuturnius aut vehementius est, fastidium tandem parit, quia turbat proportionem objecti & facultatis naturalis, quæ à vehementi sensili lædi solet. Gaudium etiam sicut amor, aliud est honestum, aliud turpe, quorum illud est quod ex rebus honestis, hoc vero quod ex turpibus concipitur. Gaudii immoderati remedia sunt, considerare omnia humana esse caduca & fluxa, gaudium facile in tristitiam mutari, voluptates etiam honestas animi vim relaxare, & ad præclaras actiones segniores reddere, ideóque parcè sapienti usurpandas.

X. *Tristitiæ definitio, & à dolore differentia; ejusdem origo atque remedia.*

Illi opponitur *tristitia*, quæ est affectus quo à malo præsente cum quadam inquietudine abhorremus, sive malum jam reipsâ sit præsens, sive tantùm secundùm imaginationem, quæ id animo præsens reddit. Vocatur etiam dolor, voce doloris strictiùs acceptâ. Tristitia tamen differt à dolore in eo, quòd dolor promiscuè de animo & de corpore dicitur, tristitia verò ad solum animum refertur. Illa exitur ex malo præsenti, vel pro præsenti habito, quo etiam refertur bonum amissum, & retardatio adeptionis boni, atque omne quod resistit appetitui: hæc enim speciem habent mali. Per accidens amor & desiderium tristitiam pariunt, vel ob ejus amatæ & desideratæ absentiam, vel ob metum amittendi, seu desiderio non potiendi. Illa cor contrahit & sanguinem ac spiritus ab extremis ad illud revocat, morbosque parit & mortem accelerat. Imo etiam ex immoderatâ & repentinâ tristitiâ, sicut ex immoderato

& repentino gaudio, mors sequi potest; sed ob contrariam rationem, nempe quia vi repentinæ & vehementis tristitiæ cor ita constringitur, ut in eo calor vitalis ventilatione carens, suffocetur, indeque mors eveniat. Remedia tristitiæ sunt, magnitudo animi quâ casus humani despiciantur, quærere gaudia solida, quæ eripi non possint, ut solatium bonæ conscientiæ, Dei metum, alloquia amicorum quæ dolorem levent, somnus etiam & moderata exercitatio, calorem excitando, & spiritus debilitatos reficiendo.

XI. *De Spe & desperatione; quid etiam sit discriminis inter illas, & desidérium.*

Spes est affectus, qui tendit in bonum absens ut acquisitu difficile, sed tamen possibile. *Desperatio* contra est affectus, qui tendit in bonum absens, non tantum ut acquisitu difficile, sed etiam impossibile. Sub bono verò hîc comprehendo mali evitationem, quæ boni rationem habet. Spes autem & desperatio inter affectus recensentur, quatenus deliberationem anteverunt; Postquam enim rationis judicio & voluntatis imperio sunt corroboratæ, ad classem virtutum & vitiorum pertinent. Et in genere, virtutes & vitia nominibus affectuum designantur, quia circa illos affectus versantur, & peculiare nomen non habent. Ita cum nomen alicujus qui mihi occurrat ignoro, describo eum à vestibus quas gestat, aliisque ejusmodi externis. Spes & desperatio magnam habent cum desiderio affinitatem: Sed illud tantum inter ipsa est discrimin, quod spes sit desiderium animum exhilarans & ad suscipiendum impellens; desperatio verò est desiderium animum crucians, & abigendo planè deterrens.

Causæ

Causæ spei sunt variæ. Aliquando in experientiâ fundamentum suum habet. Qui enim antea sæpe in cœptis suis felix fuit, facilè sperat se in posterum similem eventum consecuturum. Aliquando contra oritur ab imperitiâ. Qui enim dubiæ & ancipitis Martis fortunæ imperitus est, facilè sibi victoriam pollicetur. Hinc fit ut juvenes, utpote humanorum casuum imperiti, facilè sperent; senes verò, qui sortiunæ inconstantiam sæpiùs in se vel in aliis sunt experti, ad desperationem proniores sint. Licet alia etiam istius diversitatis ratio à temperamento peti possit. Sanguineus enim calor, quo juvenes maximè abundant, eos in spem erigere solet; melancholicum verò frigus quod in senibus obtinet, eos ad desperationem facilè inducit. XII. *Spei causæ.*

Effectus spei sunt longanimitas in exspectando, patientia in tolerando, audacia in aggrediendo, & alacritas in operando. Desperationis verò contraria, nisi quòd aliquando per accidens desperatio audaciam parit. Unde in bellis periculosum est hostes ad desperationem vitæ compellere. Jucundissimus est spei affectus, hominesque in malis sustentat, ideo alendus est, & eâ eos adversus desperationem muniendum. Cato: XIII. *Ejusdem effectus.*

Rebus in adversis animum submittere noli.
Spem retine, Spes unâ hominem nec morte relinquit;
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.

Ovid. lib. 1. de Ponto, Eleg. 7. ad Græcinum, *Hæc dea, cum fugerent*, &c. & in Appendice Virgil. lib. 1. tit. 18. *Spes fallax, Spes dulce malum.*

Auda-

XIV. *Audacia quid, & quâ in re differat à fiduciâ: ejusdem causa, effectus, & remedia.*

Audacia est affectus, qui tendit in malum, seu periculum imminens, quod superatu appareret difficile, sed tamen possibile. Vocatur à quibusdam fiducia & confidentia, sed differunt tamen in eo, quòd fiducia bonum primò & per se respicit, audacia verò respicit malum ut id superet, & tandem bono potiatur. Audaciæ eædem propè causæ sunt quæ spei, experientia nempe, vel opinio propriæ virtutis, seu adversariorum imbecillitatis; item imperitia. Nec non calor cordis, & vinum. Effectus sunt caloris & sanguinis diffusio, bilis commotio, contemptus periculorum. Remedia, experientia, modestè de se sentire, adversarios non despicere.

XV. *Timoris definitio, differentia, & causæ.*

Timor seu metus est affectus, qui refugit malum, seu periculum imminens, quod tamen apparet vitatu possibile. Differt à tristitiâ, quæ respicit malum præsens, cùm hic versetur circa futurum. Consternatio est summus timoris gradus in malo vitatu penè impossibili. Causæ timoris sunt sanguis frigidior, unde fit ut senes & fœminæ metu facilius corripiantur juvenibus & viris. Nonnunquam occulta quædam antipathia est causa metûs: indèque oritur timor, quo ovis conspecto lupo, pullus conspecto milvo, & homines conspecto serpente corripiuntur. Imo quosdam videas, qui ad aspectum felis expavescant, & de leone dicitur, eum ad galli cantum horrore corripi. Qui magni sunt corde solent esse meticulosi, ut lepores; nimirùm quia in magno receptaculo calor facilè dissipatur, & vis unita solet esse fortior.

Post

Post tristitiam nullus est affectus timore pernitiosior, & qui tum corpori tum animo plus nocear. Primò enim contrahit & debilitat cor, ad cujus opem spiritus & sanguis accurrunt, unde nascitur pallor in vultu, frigus externarum partium, tremor membrorum, præsertim eorum quæ magis mobilia sunt, ut popliteum, & labelli inferioris, erigunturque capilli, nonnunquam repentè cani sunt, vox hæret faucibus, lingua titubat, sitis cruciat, alvus & vesica laxantur. Deinde animum perturbat, memoriam labefactat, suspiciones gignit; meticulosi enim omnia solent augere in majus. Crudeles etiam sunt timidi, quia dum ab omnibus sibi metuunt, omnes perditos volunt, ut sint in tuto & securi. Remedia timoris sunt, Moderatè amare bona hujus mundi, opes, vitam: qui enim impensè ea amat, semper cruciatur metu amittendi. Item assuefacere se rebus terribilibus & animum adversus eas obfirmare. Sed ante omnia timor Dei, & charitas erga alios expellunt mundanos metus. XVI. *Timor tàm corpori, quàm animo admodùm nocivus; ejusdemque remedia.*

Ira est affectus puniendi, seu doloris illi, qui intulit, reponendi. Differt ab iracundiâ, quod hæc sit assuetudo, illa verò actus. Item ab odio variis modis. 1. Quod odium possit esse sine ullo affectu puniendi, ut cum odimus diabolum, vel tyrannum aliquem; ira minimè. 2. Quod odium gravius sit irâ; odium enim est obfirmatus affectus, in quem ira, cùm diu perseverat, tandem desinit. 3. Quod odium feratur etiam adversus eos à quibus nullâ affecti sumus injuriâ, ut adversus improbos, & improbitatem: ira verò exardescit tantùm ex opinione acceptæ XVII. *Ira quid, & quomodo differat ab iracundiâ & odio.*

ptæ injuriæ. 4. Quod odium feratur tàm erga rem, quàm erga personam; ira vero erga personam tantùm, aut quod tanquam persona est. Nemo enim nisi insanus irascitur trunco aut lapidi. Iræ nullus est affectus contrarius; Oritur enim ex malo quod reponere cupit, à quo nullo affectu prohibetur, sed tantùm aliquâ virtute, nempe lenitate, & clementiâ, quæ ipsius impetum vel antevertunt, ne erumpat, vel ortum comprimunt.

XVIII. *Iræ gradus tres, totidemque hominum iracundorum species; & quòd diversa hominum temperamenta variè iram concipiant & deponant.*

Tres sunt iræ gradus, primus est cum bilis moveri incipit & sanguis effervescere. Secundus dicitur excandescentia, quæ est vehemens ira, sed brevis. Tertius est furor qui diuturnior est, & vix placari potest. Unde illud Horatii ad utrumque discernendum, *Ira furor brevis est*, quod de secundo iræ gradu, excandescentiâ intelligendum est. Tres quoque sunt species hominum iracundorum, primi sunt ὀργίλοι, qui facilè quidem ira corripiuntur; sed eam facilè deponunt. Secundi sunt πικροὶ amari, qui quidem non ita facilè commoventur, sed irati vix placantur; tertii sunt χαλεποὶ difficiles seu læves, qui nempe ad iram proni sunt, nec placari possunt, nisi extortâ ultione. Sanguinei temperamenti homines facilè concipiunt iram, quia sunt calidi, sed facilè etiam deponunt, quia humidi. Biliosi temperamenti facilius irâ inflammantur sanguineis, quia calidiores sunt, & diutius eam retinent, quia ficciores. Pituitosi nec facilè iram concipiunt, nec diu retinent; illud quia sunt frigidi, hoc quia sunt humidi. Melancholici tardè irâ corripiuntur, quia sunt frigidi, sed diutissimè eam retinent, quia sicci. Cibi calidi,

calidi, vinum, aromata & inedia redduntetiam ad iram propensos.

XIX. *Quid iræ causa sit contemptus, sive cum injuriâ, sive cum derisu conjunctus; quam etiam adauget persona conditio.*

Causa iræ est contemptus nostri vel nostrorum, seu opinio quam de eo concepimus. Eundem enim hic effectum producit opinio atque res ipsa. Contemptus autem est vel conjunctus cum injuriâ & violentiâ apertâ, ut si quis nos percutiat vel vulneret; vel cum derisu & contumeliâ, quâ magis solent accendi qui sunt generosi animi, & in dignitate aliquâ constituti. Auget iracundiam personæ conditio, gravius enim est offendi ab amicis, subditis, viris conditionis hominibus, vel iis quos beneficiis affecimus, quàm ab aliis; auget quoque locus, & aliæ circumstantiæ; gravius enim est in hominum conspectu & frequentiâ, quàm privatim & semotis arbitris deridere. Infirmiores, & in quibus vitium aliquod naturæ est, facilius solent irasci cæteris, quia citius concipiunt opinionem se contemni, ut claudi, lusci, gibbosi; item fœminæ, senes, &c. Sed divites quoque & potentes in eam, ob fastum quo turgent, valdè proni sunt. Putant enim se contemni, si quis vel ad minimum nutum eis morem non gerat.

XX. *Iræ effectus varii.*

Effectus iræ primus, est fervor seu ebullitio sanguinis circa cor, deinde ejus ad exteriores partes diffusio, quam aliquando comitatur rubor, aliquando verò pallor. Rubor em causat spes cum desiderio reponendæ injuriæ, & in iis qui generosiores sunt animi conspicitur. Pallorem inducit ingens tristitia ob acceptam injuriam, metusque, ne qui intulit elabatur inultus; & signum est animi abjectioris. Cor quoque in ira palpitat, ardent oculi, titubat lingua, tremunt

fiunt labia, manus & poplites, crepant dentes, totum denique corpus indecorè concutitur. Inde perturbatio rationi sequitur, verba jactatoriæ plena, minæ, verbera, cædes, blasphemiæ; Ex iis nonnullis vomitus biliosus, febrisque & citò mors; ita ut ira Iliadem malorum complectatur.

XXI. *Utrum ira aut possit, aut debeat penitus eradicari.*

Unde non immeritò quæritur, an irasci aliquando sapienti liceat. Nam qui omnino id illicitum esse contendunt, pro suâ sententiâ perniciosos, quos modo commemoravi, iræ effectus urgere solent. Sed tamen responderi potest, iram non minus esse naturalem affectum quàm cæteros, ideóque nec posse nec debere penitus eradicari. Sufficit si intra rationis cancellos contineatur, ne eos transiliat. Unde Paulus ad *Ephesios* iv. 26 dicit, *Irascimini & nolite peccare.* Quamvis enim illud, *Irascimini*, permissio potius sit quàm præceptum, tamen aliquam iram esse licitam arguit. Sicut ex eo quòd prohibet peccare irascendo, id fieri nonnunquàm posse absque peccato rectè colligitur, alioquin monitio ista esset ridicula, perinde ac si quis diceret, Ambula, sed cave ne ambulando moveris. Distinguendum est igitur inter iram moderatam & immoderatam, quarum illa est affectus ponendi moderatus in eo qui justam id faciendi causam habet; hæc verò etiamsi interdum justam causam habeat, modum tamen in commotione suâ non servat. Unde Paulus loco modò citato addit, *Sol ne occidat super iram vestram, nolite locum dare diabolo*, ut ostendat etiam justam iram esse frænandam, ne diu ei indulgendo diabolicæ tentationi locus detur.

Re-

Remedia quibus ira compescitur & intra rationis gyrum concinetur, sunt tria. Primò aliorum dicta & facta, quæ contemptum nostri sapiunt, in bonam partem quatenus fieri potest, sunt accipienda; & inadvertentiæ potius, aut perturbationi, quàm offendendi animo sunt tribuenda. Secundò, modestè de nobis sentire oportet, atque existimare nos posse aliquid contemptu aut offensione alterius dignum admittere. Tertiò, rixosorum conversatio fugienda, & iis qui lenioris sunt animi se adjungendum. Quartò, removendæ sunt occasiones irascendi, ut faciebat Cotys, qui elegantia vasa vitrea sibi donata frangebat, ne adversus servos, qui ea frangerent, posset irasci. Quintò, attentè & frequenter consideranda sunt mala quæ ex irâ in nos vel alios redundare possunt. Sextò, perpendere oportet quàm prope ad feminum indolem aut amentium accedat iracundus. Unde Socrates suadebat iratis, ut faciem intuerentur in speculo, ut abhorrerent ab affectu qui eam ita turpiter fœdaret. Septimò, tempus rationi concedendum, ut se colligat & adversus belluinum iræ impetum se armet; quod volebat Athenodorus, qui suadebat Augusto, ut cùm sentiret se irâ commoveri, 24. Græci Alphabeti literas apud se enumeraret, priusquàm quicquam diceret aut faceret. Sed parum efficax erat ejusmodi remedium. Præstantius est multò, & plane divinum, orationem dominicam attentè ac devote pronunciare, in quâ efficacissima adversus istum affectum hactenus antidota.

XXII. *Ira remedia quàm efficacissima.*

Hacte-

XXIII. *De affectibus mixtis, eorumque primo, misericordia; quid sit, & ex quibus composita: utrùm etiam tradicenda sit, an potiùs fovenda.*

Hactenus de affectibus simplicibus; sequuntur mixti seu compositi, Quorum primus est *Misericordia*; Ea est tristitia de alieno malo ut proprio existimato, cum succumendi affectu. Composita est ex tristitiâ & desiderio; quarum illa oritur ex malo in quod quempiam immeritò incidisse existimamus; Eorum enim quos justè pati credimus vix solemus misereri. Hoc verò est affectus illi subveniendi. Malum autem istud est præcipuè pœnæ seu afflictionis, non verò culpæ, etiamsi ob id etiam tristari nos conveniat, & de eo qui admisit in rectam viam reducendo sollicitos esse. Laudatissima est hæc passio & quam Christus nobis ab exemplo ipsius Dei commendat, dicens, *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est*, Luc. vi. 36. Quare gravissimè errant illi, qui ipsam eradicare volunt; cum potiùs omni studio sit fovenda, ut fons & origo operum charitatis. Regerunt quidem illi, benè faciendum esse miseris, sed sensum miseriæ ipsorum in animum nostrum non esse admittendum; idque ad instar Dei, qui nullam ex alienæ miseriæ intuitu tristitiam percipit. At resp. sine ejusmodi sensu doloris, fieri non posse ut prompti satis simus ad alios subvenendum; ideóque Deum nobis ipsum naturâ velut stimulum charitatis inseviisse.

XXIV. *Qui ad misericordiam sint propensiores; quomodo etiam excitandus sit affectus hic, & quam magni faciendus.*

Ad misericordiam propensiores sunt meticulosi & infirmi, ut fœminæ, pueri, senes. Et qui opinantur eadem mala, cum quibus alios conflictari vident, sibi suisque contingere posse, vel ipsa aliquando sunt experti. Unde Dido

apud

apud Virgilium dicebat, *Non ignara mali miseris succurrere disco.* Felices verò quibus omnia ex voto fluunt, & potentes qui nihil ab aliis sibi timent, non ita solent alienæ miseriæ sensu affici. Item qui sunt in extremâ positi calamitate, miseratio vix tangit; cùm enim urgentur propriis malis, de alienis non cogitant. Ad excitandum in se hunc affectum, propriis oculis alienas miserias intueri convenit. Profundiùs enim in animum descendunt visa, quàm tantùm audita. Quare peccarunt sacerdos ille & Levita, de quibus Christus *Luc.* x. qui conspecto homine seminece, aliâ viâ præterierunt, de propiore intuitu ad misericordiam commoveretur. Magni faciendæ est misericordia, quia *misericordes misericordiam consequentur*, Mat. v. 7. *Judicium sine misericordiâ erit illi, qui non exercuerit misericordiam*, Jacob. ii. 13. Idque ultimus dies comprobabit, in quo misericordes Christus secum in æterna gaudia assumet, immisericordes cruciatibus æternis deputabit, *Matth.* xxv.

Secundus est *Invidia*, quæ aptiùs invidentia vocatur, cum invidia tàm sit eorum qui invident, quàm quibus invidetur. Est que tristitia de bono alieno, æstimato ut malo proprio. Iste affectus est plerumque malus, utpote à naturæ corruptione ortus, ideòque potiùs est eradicandus, quàm ad mediocritatem, quæ difficillimè hîc reperitur, reducendus. Licita tamen videtur esse invidia, quâ improbis bona illa invidentur, quibus tum ad suam, tum ad aliorum perniciem abutuntur. Remediis adversus eam duorum generum opus est. Cavendum enim est non

XXV. *Invidia, vel potius invidentia definitur; qualis affectus sit, & quænam remedia adversùs eam sint adhibenda.*

solùm ne invideamus, sed etiam ne nobis invideatur. Illud autem præstabit charitas & amor proximi, quo qui accensus erit, nunquam bonis ejus tristabitur. Hoc verò quadantenus obtinebimus, si in rebus prosperis non insolescamus, sed simus ergo omnes comes & benefici. Nam aliorum invidiam planè frænare impossibile est.

XXVI. *Æmulatio quid.* Tertius affectus est *æmulatio*, quæ est tristitia de bono alieno, quatenus illud nobis deest. Vocatur etiam zelus, & aliquando est ad virtutem stimulus; solummodò cavendum ne in invidiam degeneret. Differt à zelotypiâ quæ in conjugibus aliquando locum habet, pessimáque est perturbatio, omni studio eradicanda.

XXVII. *Verecundiæ definitio, & origo; in quibus laudetur, & in quibus improbetur.* Quartus affectus est *Verecundia* seu pudor, quæ est timor mali ignominiam afferentis. Oritur à re turpi, aut quæ pro turpi habetur, & erubescentiam producit: natura enim, ad tegendam verecundantis faciem, sanguinem veluti velum per faciem ejus diffundit. Laudatur hic affectus maximè in juvenibus tanquam signum bonæ indolis. Nam impudentis est & in malo obfirmati nunquam erubescere. Non probatur in senibus, quia nihil admittere convenit, cujus pudere ipsos possit. In nullâ tamen ætate indecorum est ad suarum laudum auditum pudore aliquo suffundi.

XXVIII. *Indignatio quid, & unde oriatur.* Quintus affectus est *indignatio* seu *nemesis*, quæ est tristitia de bono alieno, quatenus judicamus eum isto bono esse indignum. Causæ illius sunt bona fortunæ quæ vocantur, ut opes, honores, forma, robur, &c. ob virtutem enim alterius nemo indignatione corripitur. Hic etiam est videndum, ne quid ejusmodi indignatio

cum

cum invidiâ affine habeat. Nec ei admixta esse debet ἐπιχαιρεκακία, quæ est cùm quis odio impulsus, alterio gaudet malo, ideóque in vitiorum potiùs censum, quàm affectuum naturalium referri debet. Nihil enim magis alienum est ab humanitate & misericordiâ.

CAPUT VI.

De Legibus.

I. *Quid Lex sit norma virtutis & de quotuplici legum genere hic agatur, & unde lex nomen sortiatur.*

HActenus de objecto virtutis, sequitur ut agamus de normâ ad quam illa est componenda, quæ est lex. Cum autem varia sint legum genera, illæ tantum sunt Ethicæ considerationis, quæ hominum actiones regunt. Itaque huc non pertinet lex illa naturæ generalis, secundùm quam omnia in orbe fiunt, astra moventur, terra fruges producit, animalia nascuntur & moriuntur, contra quam peccat rarum quando monstra producit. Neque leges artium, non modo liberalium, ut Rhetoricæ, Poëticæ, sed etiam illiberalium, ut sutoriæ, adversus quas qui peccat non propterea est improbus, sed imperitus. Lex autem dicta est à ligando, ut vult Cicero lib. 2. de legib. quia homines vinculo quodam ligat vel astringit. Alii malunt nomen habere à legendo, quia leges in foro proponebantur legendæ populo, antequam ratæ essent & vim obligandi haberent. Alii denique ita appellatam putant quod sit lecta, id est electa vivendi regula. Græcis dicitur νόμος à νέμω tribuo, quia unicuique quod suum est

tribuit. Hebræi vocant *Thorah*, id est doctrinam, quia opus est ut doceatur.

II. *Legis in genere assultio.*

Lex universim accepta, est regula humanorum actuum per se habens vim obligandi ad aliquid agendum vel non agendum. Cicero eam sic definit, Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Sed definitio hæc angustior est quam par sit; non quadrat enim in omnes leges, v.g. in leges de testamentis, servitutibus, neque in ceremoniales & judiciales Mosis.

III. *Legis divisio, in æternam, & participatam; quarum hæc iterum duplex, divina vel humana.*

Dividitur lex in æternam & participatam, seu potius in originalem & derivativam. Lex æterna est divinæ mentis actus, quo Deus judicat quid sit fas & honestum, quid nefas & inhonestum in actionibus humanis. Distinguunt autem actiones humanas ab actionibus hominis; quod illæ solæ sint liberæ, & homini qua homo proprix; hæ vero illi cum brutis animantibus communes. Lex participata est ea quæ ab æterna lege quodammodo participatur & derivatur. Estque duplex divina vel humana. Lex divina est quæ Deum habet auctorem: humana verò quæ hominem.

IV. *Lex divina vel naturalis est, vel positiva: priorum duplex, vel naturaliter à Deo impressa;*

Lex divina iterum dividitur in naturalem & positivam. Lex naturalis est vel ea quam Deus homini in creatione impressit, vel ea quam postea inde deductam ei revelavit. Lex homini ab ortu indita nihil aliud est quam ratio per quam homo à brutis distinguitur, & judicat quid honestum sit & agendum, quid inhonestum sit & fugiendum. Hæc enim lex naturaliter in cordibus omnium hominum, etiam maximè barbarorum, est insculpta, & statim atque usum rationis

onis habent, incipit le exercere. Hinc fit ut nulla gens tam fera aut inculta reperiatur, quæ non putet Deum esse colendum, parentes honorandos, abstinendum ab homicidio, furto; lapsum erigendum, reducendum errantem in viam, alteri non faciendum quod tibi fieri non vis, &c. De hâc lege intelligendum est illud Pauli, *Gentes quæ non habent legem, naturaliter faciunt quæ sunt legis, Rom.* 2. 14. Ubi per eos, *qui non habent legem*, significantur ii, ad quos lex moralis per legem latâ non pervenit; quos paulò post dicit habere opus legis inscriptum cordibus. Atque ex hoc fonte promanarunt tam multæ leges de æquo & bono à legislatoribus Ethnicis latæ, ab ipsâ naturâ rationali hauſtæ. Nec obstat quod apud quosdam populos repertæ sunt nonnullæ leges aut consuetudines impressionibus naturalibus pugnantes, ut quibus furta, liberorum expositio, permittebantur. Hæ enim paucorum fuere, ægrè admissæ, & tandem per contrarias leges meliores sunt abrogatæ, aut in desuetudinem abierunt.

V. *Quæ differt conscientiâ, & quâ in re.*

Differt hæc lex naturaliter impressa à conscientiâ in eo, quod lex est regula universalis jubens, aut vetans: at conscientia est examen sui ipsius ad hanc regulam. Illius autem regulæ cognitio altè sedens in animo est synteresis. Exempli gratiâ, homicida sic apud se ratiocinatur, Omnis homicida dignus est morte. Ego sum homicida. Ergo dignus sum morte. Major hujus syllogismi est lex naturæ per synteresim in animo conservata. Sed totius syllogismi constructio est conscientiæ opus.

VI. *vel à Deo homini revelata, quam in decalogo habemus.*

Lex naturalis à Deo homini revelata est Decalogus, quem olim Deus in monte Sinai Israëlitis pronunciavit & duabus tabulis lapideis descriptum Mosi dedit; cujus, præcepto moralia, quinque libris Mosis comprehensa, nihil aliud sunt quam expositio. Decalogi enim præcepta omnia ad legem naturalem pertinent, excepto quarto de quiete Sabbathi. In quo tamen est illud naturale, ut ad exemplum Dei, qui absolutâ creatione ab operibus suis quievit, etiam homines ab operibus suis quiescant, & tempus aliquod meditationi & celebrationi operum divinorum impendant. Dubitatur etiam de præcepto secundo, in quo prohibentur confici imagines in quibus Deus colatur, utrum ad naturalem legem sit referendum. Sed quamvis non ita evidenter ex eâ fluat ut primum, inde tamen omnino suam habet originem. Et malum est imagines facere ad cultum, non tantùm quia Deus id hoc præcepto prohibuit, sed etiam quia suâ naturâ tale est. Quâ de causâ Gentes quæ legem non habebant reprehendit Paulus, quod *mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis & volucrum & quadrupedum & serpentium*, Rom. 1. ver. 23. Nec id tantùm, sed etiam addit, *Propterea Deum tradidisse illos in desideria cordis illorum in immunditiam*, &c. Tum graviter autem Deus bonus & æquus, istud factum in gentibus non vindicasset, nisi violationem legis naturalis contineret.

VII. *Hujus legis immutabilitas asseritur; & Deum non rescidisse illam probatur.*

Hæc lex naturalis æqui & boni est prorsus immutabilis, adeo ut Deus non videretur esse

id

id quod est suâ naturâ, hoc est optimus & sanctissimus, si eam rescinderet aut de eâ aliquid relaxaret. Nec enim est quòd quis putet Deum ipsam rescidisse, quando jussit Abrahamum proprium filium suum offerre in holocaustum, & Israëlitas sub specie mutui spoliare Ægyptios supellectili suâ aureâ & argenteâ. Nam præterquam quòd præcepta ista aut exceptiones à lege sunt singulares quæ regulam non faciunt, etiam dici illud potest, legi naturali conforme in primo exemplo, ut homo plus diligat Deum, quàm filium, & ad illius jussum, qui immortalitate donare potest sibi obedientes, vitam temporalem filii charissimi in honorem Dei impendat. Et tamen Deus, ne à suâ lege naturali resilire videretur, probato Abrahami prompto ad obediendum animo, factum ipsum inhibuit. Et quod ad alterum exemplum attinet, nihil in eo est adversus naturæ legem. Nam quamvis sine speciali Dei jussu non licuisset Israëlitis fraudare Ægyptios suis bonis, tamen quin Deus omnium totius mundi bonorum sit absolutus Dominus, qui ea dare & adimere potest cuicumque velit, nullum est dubium. Justa autem erat causa adimendi ista bona Ægyptiis, qui crudeli & inhumanâ servitute Israëlitas oppressérunt, & meriti erant illa Israëlitæ suis laboribus, quorum nullam mercedem ab Ægyptiis acceperant. Eadem est ratio bellorum adversus populos Cananæos, quos speciali Dei jussu deleverunt & possessione terræ suæ expulerunt. Nam populi isti meriti erant sceleribus suis contra naturam excidium, & Deus Israëlitis tanquam exsecutoribus suæ vindictæ adversus eos utebatur,

& regionem illorum possidendam ipsis dabat. Absque quo Dei jussu bella illa nihil aliud fuissent quam mera latrocinia.

VIII. *Utrùm lex Christi, quâ jubet ne malo resistamus, sit lex naturalis.*

Sed quid de lege D. Christi statuendum, quâ jubet ne resistamus malo, & si quis nos percusserit in maxillam dextram, obvertamus illi & alteram, &c. estne haec lex naturalis? Respondeo, consideratam cum praemio quod observantibus illam promissum est, nullo modo à naturali aequitate discedere. Beatos illi seipsos judicare debent, qui levi bonorum & commodorum temporalium jactura aeterna sibi comparare possunt. Praeterea, naturale in eâ est, quòd excellens medium continet ad pacem inter homines conservandam, quibus etiam nulla praemii coelestis habitâ ratione, praestet aliquando injurias acceptas dissimulare, quàm vindicare eas volendo, in periculum graviores accipiendi se conjicere. Verumtamen lex ista non est propterea naturalis dicenda, sed potius est supernaturalis, quia nemini naturâ est nota; ideòque non peccant gentes, quibus non est revelata, si ad eam mores & vitam suam non componant.

IX. *Quid, & quotuplex sit lex divina positiva.*

Lex divina positiva dicitur, quae non est in naturali aequitate & ratione fundata, aut saltem ita manifestè, ut à quolibet statim id agnosci possit, sed à mero Dei arbitrio pendet, qui si voluisset diversa omnino aut etiam contraria illi praecipere, potuisset. Tales sunt leges ceremoniales & judiciales populo Israëlitico olim praescriptae. Ceremoniales leges dicuntur, quae cultum Dei dirigunt in rebus quae suâ naturâ neque honestae, neque turpes sunt, sed indifferentes; & ob solum Dei mandatum sunt faciendae,

dæ, aut omittendæ. Quales sunt leges circumcisionis, sacrificiorum, festorum, abstinentiæ à diversis cibis, &c. quarum pletumque nulla ratio dari potest, nisi sola Dei voluntas. Ubi autem aliquod in æquitate naturali fundamentum habent, sunt quidem veluti propago legis naturalis, sed tamen neminem obligant, nisi accedente expressâ Dei voluntate. Christus paucas ejusmodi leges instituit. Vix enim alias reperies in Novi Fœderis libris præter baptismum & Cœnam Domini, quarum observatio omnibus ejus discipulis sit præcepta. Leges judiciales sunt, quæ spectant regimen politicum populi Israëlitici, veluti de pace aut bello, de venditionibus & emptionibus, de judiciis litium, criminum pœnis, & similibus. Tales nullas leges Christus in Novo Fœdere præscripsit, qui regimini politico nullo se modo immiscere voluit. Sed neque Mosaïcas abrogavit; quæ quamdiu politia Judaica duravit, etiam à Christianis legitimè observari poterant. Et quod ad alios principatus aut respublicas attinet, illi qui legum ferendarum potestatem habent, id solum cavere debent, ne ullas constituant, quæ cum charitatis Christianæ præceptis convenire non possint.

X. *Utrùm illa lex aliquem obligaret præter Israelitas, quibus data est.*

Lex positiva divina, neminem obligat nisi Israëlitas quibus est expressè data; Ideoque cum varii populi reprehendantur in scriptis Prophetarum quod scelera contra legem naturalem commiserint, nunquam iis exprobratum videbis, quòd circumcisionem aut festa Judæorum non observarint. Præterea cedit dignitate legi naturali, adeo ut quando utraque simul non

potest

potest observari, præstet positivam & ceremonialem violare, quam naturalem; e. g. operari Sabbatho ad succurrendum ægro qui in vitæ periculo versatur. Quâ de causâ Dominus Jesus dicebat, *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum*, Marc. ii. 27.

XI. *Quot conditiones requirantur in omni lege positivâ; sive divina ea sit, sive humana.*

Variæ conditiones requiruntur in omni lege positivâ, sive ea divina sit, sive humana. Prima est, ut sit rationalis. Omnis enim vera lex est participatio quædam legis æternæ, & secundùm naturam esse debet, illiusque veluti anima est æquitas. Unde sequitur omnem legem debere esse possibilem observatu. Nam jugo impossibili alium gravare est iniquum, & natura docet ad impossibile neminem teneri. Itaque malè sentiunt de legis divinæ æquitate, qui dicunt eam etiam cum Dei auxilio observatu esse impossibilem. Attamen etiam injusta lex obligat, si is qui eam ferat, legislatoriam habet auctoritatem; quales sunt principes & summi magistratus in quâlibet ditione: intellige autem injustam præcipienti, non observanti. Nam quæ observatu injusta est, non obligat; imo propter conscientiam tenemur ei non parere. Ita cum Pharao imponebat Israëlitis onera æquo graviora, quæ tamen ferre poterant, tenebantur illi obedire. Sed quando præcipiebat obstetricibus, ut omnes mares in ipso ortu interimerent, grandi scelere apud Deum se obstrinxissent, si paruissent. Secunda conditio est, ut lex non uni aut alteri personæ imponatur, sed toti alicui communitati: alioqui nomen legis non meretur, sed est propriè mandatum aut præceptum. Verumtamen, si omnibus iis qui in aliquo loco degunt,

gunt, urbe vel insulâ, sit lata, quantumvis pauciſſimi sint, legem dici nihil obstat. Ita interdictum Adamo & Evæ factum de edendâ arbore scientiæ boni & mali, non minus lex erat, quàm circumcisionis. Tertia conditio est, ut lex constituatur ab eo qui illi communitati præest, cui lex imponitur. Ejusdem enim est legem imponere alicui communitati, cujus est eam regere, cùm legum constitutione maximam partem regatur civitas. Regendi autem jus ille tantum habet, qui præest. Itaque si rex Hispaniæ vellet imponere leges Galliæ, vel rex Galliæ Hispanis, neutri obedire tenerentur. Et si privatus aliquis leges omnium æquissimas conscripsisset, neminem obligarent, nisi quatenus præcepta de naturali æquitate continerent, quibus sine lege omnes parere tenentur. Nec pœnam mereretur apud homines qui illas violasset. Quarta conditio est, ut lex tendat in commune bonum tanquam medium in suum finem. Nam cum legis constitutio, præcipua sit pars gubernationis publicæ, quæ suâ naturâ medium est ad communem felicitatem, eò quoque ipsa tendere debet; proindèque lex ad commune bonum non conducibilis, hoc ipso non est lex. Differt autem hæc conditio à primâ, quòd prima requirat tantum ut lex sit rationalis & æqua, quarta verò præterea ut prosit. Quinta legis conditio est, ut sit firma & stabilis. In eoque discernitur a simplici aliquo mandato. V. gr. si magistratus mandet, ut singuli cives tractandis armis idonei, craſtinâ die conveniant in forum. Hoc quidem mandatum, est ordinatio rationalis in commune bonum, ab eo qui curam habet communi-

tatis;

tatis; sed quia non est firmum & stabile, sed ad unum tantum diem obligat, non est lex. Hæc tamen legis positivæ stabilitas non impedit, quò minùs abrogari possit quando id reipublicæ expedire judicatur. Causâ enim cessante ob quam lex instituta est, non est cur diutiùs vigorem suum retineat. Sexta conditio est ut sit præmio aliquo vel pœnâ sancita, sine quibus lex potiùs est præceptum & suasio, quàm vera lex. Rarò autem præmia promittuntur legum humanarum observationibus: sed pœnæ tantùm illarum violatoribus intentantur. Præmium solum est frui securitatis publicæ beneficio. Sed leges divinæ utrumque habent. Septima & ultima conditio legis positivæ est promulgatio, sine quâ lex positiva non habet completam vim dirigendi & obligandi. Subditi enim ab illâ lege regi & obligari non possunt, quæ ipsis incognita est. Requiritur ergo ut ad eorum notitiam perveniat, quod fit per promulgationem externam. Hoc observavit Deus in lege dandâ Israëlitis, & Moses in iis quæ jussu divino ipsis præscripsit; Christus etiam in lege Evangelicâ, mittens Apostolos per universum orbem ad eam promulgandum. Idemque in omni principatu & republicâ etiam observatur, licèt diversimode, secundùm singulorum locorum consuetudines.

Quo sensu omnes leges humanæ sint positivæ.

XII. Omnes leges humanæ sunt positivæ. Nam per leges humanas hîc non intelligimus universaliter omnes eas, quæ ab hominibus quâcumque de re feruntur. Sic enim multæ earum sunt naturales & divinæ, ut si jubeant Deum colere, parentes honorare, ab homicidiis & adulteriis absti-

abſtinere. Sed particulariter intelligimus eas, quæ ad politiam humanam pertinent. Nam etiam cùm leges humanæ præcipiunt aliquid, quod eſt legis naturalis, aliquam ſemper circumſtantiam addunt, quæ lege naturali non continetur, & ita ab eâ diſcriminantur. V.gr. cùm lex humana ſtatuit, ut homicidæ & adulteri morte plectantur; aut cùm vetat, ut liberi minorennes invitis parentibus matrimonium contrahant, non eſt planè naturalis; etſi in æquitate naturali fundamentum habeat.

XIII. *Quibus de cauſis neceſſe ſuit, alias leges ab hominibus ſerri, præter illam Naturæ.*

Præter naturæ autem legem, neceſſe fuit alias leges ab hominibus inſtitui diverſis de cauſis. 1. Quia lex naturæ generalia tantum æquitatis præcepta continet. Omnes autem homines non ita pollent ingenio, ut per ſe abſque alterius ope, omnia particularia pervidere poſſint, quæ generalium regularum ambitu comprehenduntur. Ita fieri poteſt, ut qui furtum pro re turpi habet, non putet illicitum patri ſuo aliquid furari, vel de publico theſauro aliquid rapere, quaſi aquæ cyathum è prætereunte flumine hauriret. 2. Quia plurimi datâ operâ ſe decipiunt, dum notiones naturæ generales, prout poſſent, ad ſingulas ſuas actiones non applicant. Sic decurtator menſuræ aut ponderis, aut adulterator monetæ ſibi blandiens in ſcelere, non putat hæc furtis debere annumerari. 3. Quia intereſt reipublicæ, ut ſcelera pœnis corporalibus vel pecuniariis coërceantur; quod natura docet quidem eſſe æquum, ſed non poteſt exſequi niſi legum humanarum ope & magiſtratibus creatis qui ei curæ inviglent.

Leges

XIV. *Quot sint legum humanarum genera.*

Leges humanæ duum sunt generum, vel enim politicæ seu seculares sunt, vel Ecclesiasticæ; unde nata est distinctio juris in Civile, quod in unum corpus inter Romanos à Justiniano Imperatore redactum est, & Canonicum, quod Decreto Gratiani & Pontificum Romanorum decretalibus continetur. Licèt in Codice & Novellis, variæ sint leges ad regimen Ecclesiasticum pertinentes, & in Decreto atque decretalibus, multa statuantur quæ sunt politiæ mundanæ. Ad leges politicas referuntur militares.

XV. *Quot modis differant leges humanæ à divinis.*

Differunt autem leges humanæ à divinis multis modis. 1. Quòd lex divina regit conscientias, & cupiditates corde conclusas vetat & punit. Unde præceptum; *Non concupisces uxorem, domum, agrum, ancillam, bovem proximi tui*, Et, *qui viderit mulierem ad concupiscendum jam mœchatus est eam in corde suo*, Mat. v. 28. At leges humanæ externa facta tantùm respiciunt & puniunt. 2. Quòd leges divinæ omnes sunt justæ, humanæ verò multæ sunt injustæ, quæ tamen obligandi vim habent. 3. Quòd legibus divinis omnes homines sine exceptione obedire tenentur, non minùs Principes & magistratus, quàm subditi. At leges humanæ concedunt aliquando privilegia & immunitates à lege communi. Et non sine causâ comparantur telis araneorum, quæ muscas implicant, sed ab avibus perrumpuntur. 4. Quod leges humanæ præmia & pœnas temporales tantùm constituunt, & sæpius quidem pœnas, quàm præmia; lex verò divina præmia & pœnas æternas, nec magis has quàm illa, sed contra potiùs.

Leges

Leges tàm divinæ quàm humanæ aliæ sunt affirmativæ, aliæ negativæ. Affirmativæ sunt, quibus bonum aliquod præcipitur, ut precibus incumbere, pauperi eleëmosynam dare. Negativæ verò, quibus malum aliquod prohibetur, ut furtum, adulterium. Leges affirmativæ obligant quidem semper, sed non ad semper; negativæ vero semper, & ad semper. Certum enim est, hominem non teneri quovis tempore exercere omne bonum opus, ut non tenetur honorare patrem qui patrem non habet. Sed tenetur semper abstinere ab omni malo quod, vetatur præcepto negativo: nunquam licet blasphemare Deum, aut falsum dicere testimonium. XVI. *De legibus affirmativis, & negativis; illarumque obligatione dissimili.*

Munera legum sunt quinque, jubere, vetare, permittere, præmio & pœnâ afficere. Jubent actiones bonas, vetant malas, permittunt malas vel indifferentes, præmio donant obedientes, puniunt inmorigeros. Duplex enim est genus permissionis, unum, quo permittuntur res malæ, & quas legislator improbat, ad malum majus vitandum; ita Moses permisit Israëlitis uxores dimittere propter duritiam cordis ipsorum, ut inquit Christus, *Mat.* xix. 8. nimirum ne, si cogerentur inviti retinere quas odissent, durè & inclementer eas tractarent. Ea quæ sic permittuntur, vir bonus sponte nunquam faciet. Alterum verò, quo permittuntur res indifferentes & in quibus nullum est vitium. Ita lege Evangelicâ permittitur tum virginibus, tum viduis matrimonium contrahere. Etsi enim cœlibatus matrimonio præferatur à Paulo, id tamen non facit quia in matrimonio sit aliquid vitii, sed quia cœlibatus est aptior ad pienè serviendum Deo, XVII. *Leges naturæ quinquit; & quotuplex sit genus permissionis.*

Deo, & ad crucem propter Evangelium ferendam. Vide 1 *Cor.* vii. *toto.*

XVIII. *Quantam leges humanæ obligandi vim habeant coràm Deo.*

Lex humana, quæ in æquitate naturali fundamentum aliquod habet, obligat coràm Deo; ipsique parendum est, *non tantùm propter iram*, seu metu pœnæ, *sed etiam propter conscientiam*, *Rom.* xiii. 5. Sunt tamen leges quædam meræ pœnales, quæ nullum alium reatum violatæ afferunt, quàm ad mulctam lege præscriptam persolvendam, quales sunt leges de funeribus in hâc urbe, & similes.

XIX. *Legum humanarum positivarum mutabilitas, & quot modis fiat.*

Omnes leges humanæ positivæ sunt mutabiles, ut patet ex eo, quòd aliquando abrogentur, & obligare desinant. Mutatio autem, secundùm quam lex obligare desinit, fit quatuor modis; nimirum interpretatione, dispensatione, abrogatione & irritatione. Interpretatio est, quâ lex verbis durior, in sensum benigniorem à legislatoris mente non alienum, trahitur. V. gr. lex Sabbathi, quæ opus omne interdicit Judæis, ita exposita est à senioribus tempore Maccabæorum, ut liceret arma capere ad se defendendum contra hostes invadentes, 1 *Macch.* ii. 41. Dispensatio est exemptio ab obligatione concessa alicui à superiori ob causam legitimam, qualis est quâ permittitur alicui venatio in sylvâ principis, quæ vulgò est prohibita. Abrogatio legis est, quando lex quæ secundùm se totam obligabat, lege contrariâ à legislatore rescinditur, ut si princeps qui tempore pacis arma subditis gestare interdicit, bello ingruente postea id expresse permittat. Aliquando consuetudine longâ, quæ vim legis habet, abrogantur leges. Differt autem derogatio ab ipsâ abrogatione,

tione, quòd per abrogationem tota lex tollatur, per derogationem verò pars aliqua tantummodò. Itritatio est quando lex rescinditur antequam obligare incipiat.

CAPUT VII.

De virtute in genere.

I. *De virtute in genere; ubi primò de ejus naturâ, cujus cognitio petenda est tàm à definitione nominali,*

HActenus de virtutis objecto & normâ, sequitur ut de virtute ipsâ agamus, eamque tùm in genere, tùm in specie consideremus. Tractatio generalis complectetur virtutis naturam, causas, effecta, subjecta, adjuncta & opposita. Natura virtutis cognoscitur ex definitione, eaque tum nominali, tum reali. Vox virtutis à viro derivata est, & propriè viri robur significat: Nam primo bellicæ fortitudini impositum esse videtur: sicut & Græca vox ἀρετὴ ab Ἄρης Mars derivata est, licèt alii malint deducere ab ἀείρω placeo, vel αἴρω eligo. Sed postea longiùs extensa est hæc appellatio, & omni potentiæ naturali est applicata; ut cum herbarum vel lapidum virtutes dicimus, & animali virtutem visivam vel odorativam attribuimus. Ita quoque bona indoles hominis & ingenium virtus appellatur. Deinde, habitus acquisiti eâ designantur, non tantùm hominum, sed & brutorum. Sic virtus equi est parere frœno, & canis statoris perdices sistere: has enim facultates assuetudine & frequenti exercitio sibi comparant. Habitus etiam divinitùs infusi, ut donum linguarum, prophetiæ, sanationum,

quandoque virtutes appellantur. Sed hæ omnes significationes alienæ sunt à nostro proposito. In Ethicâ enim virtutis nomine intelliguntur vulgò habitus acquisiti, per quos homines doctiores vel meliores redduntur. Duo enim virtutum summa genera faciunt, intellectuales videl. ut prudentiam, scientiam, artem, &c. Et morales, ut justitiam, temperantiam, &c. Quarum illæ ornant mentem, & docti titulum nobis conciliant; hæ verò regunt voluntatem, & faciunt ut probi nuncupemur. Sed male etiam virtutes illæ intellectuales Ethicæ pomœriis includuntur, quandoquidem ad beatitudinem acquirendam plerumque nihil faciunt. imo cum summâ miseriâ & improbitate consistere possunt, ut in Mubicâ, Geometriâ, & similibus eximiis animi virtutibus videre est. Et hâc de causâ, de moralibus tantùm hîc agere nobis propositum est.

I.

II. *Virtus moralis*, definiente Aristotele 11. Eth. cap. vi. *est habitus electivus consistens in mediocritate quoad nos, per rationem & judicium viri prudentis definita.* Nobis verò est *actio & habitus legi conformis.* In hâc definitione genus & differentiæ sunt considerandæ. Genus virtutis duplex facimus, nempe actionem & habitum. Aristoteles verò, & cum eo Ethicorum vulgus habitum solummodò, pro vero & proprio virtutis genere agnoscunt. Nos verò actionem illi adjungendam censemus, sine quâ etiam habitus subsistere non potest. Etsi enim ab unâ aliquâ solitariâ actione nemo virtute prædicti nomen adipiscitur, cùm una hirundo ver non faciat; actiones tamen sunt, quæ primariò legibus

quàm realis; cujus definitio nu duplex genus faciendum est, & quare.

gibus præcipiuntur aut prohibentur, habitus verò tantùm secundariò, quatenus ex actionibus nascuntur, & per illas conservantur. Idque ex collatione virtutis cum vitio, clarè cognosci potest. Singulæ enim vitiorum actiones legibus vetantur & puniuntur, ut furta, homicidia, adulteria, &c. non tantùm horum vitiorum habitus. In minoribus quidem vitiis, denominatio non solet neq; debet fieri ab unicâ actione, nec dicitur iracundus qui semel aut bis iratus fuerit, aut ebriosus cui semel inebriari contigerit, ut Noachò; sed qui pluries hæc peccata repetiit: sed tamen in gravioribus aliter se res habet, nec expectatur ut aliquis pluribus homicidiis aut adulteriis se contaminaverit, ut homicida vel adulter nuncupetur, atque ut talis pœnam lege sancitam subeat. Nemo igitur legi satisfacit solo virtutis habitu. Nec est ut quis excipiat, habitum sine actione consistere non posse, utpote qui per crebrò repetitas actiones acquiratur & conservetur. Nam qui virtutem habitu definiunt, illam etiam in suâ integritate permanere posse censent, quando nullæ ejus actiones eduntur, quia habitus semel acquisitus non facilè amittitur, etiamsi aliquamdiu ab agendo desistat. Indéque nata ridicula & noxia bonis moribus distinctio, ut aliquis dicatur temperans, justus, liberalis actu primo propter habitum in animo residentem, sed non actu secundo, quia nullas temperantiæ, justitiæ, liberalitatis actiones edit.

Sed cum tàm virtus quàm oppositum ei vitium in habitu etiam consistat, antequam ad

III. *De habitu, quòd multiformiter sumatur*

differentiam definitionis explicandam accedamus, necesse est aliquid prius de habituum naturâ in genere dicere, sicut de actionibus suprà fecimus. Habitus vox multipliciter sumitur. Nam 1. significat habitionem, ut ita dicam, seu possessionem alicujus rei. Sic homo dicitur habere vestes, domum, liberos, &c. 2. Usurpatur pro quâlibet formâ cujus privatio est possibilis, quatenus ab alio habetur; & hoc sensu visus, sanitas, habitus dicuntur. 3. Vestitus & cultus corporis habitus vocatur. 4. Sumitur pro externâ cujuslibet corporis dispositione & formâ, & ità habitus aëri, terræ, aliisque rebus ejusmodi tribuitur. 5. Denique pro qualitate adventitiâ & permanente sumitur, per quam animal ad bene vel malè cum facilitate operandum disponitur. Et in hâc significatione hîc à nobis accipitur. Logici à dispositione distinguere solent, quæ est viâ ad habitum, seu habitus imperfectus. Sed ista tantum secundùm plus & minus differunt, ideóque non est necesse de iis separatim tractare.

IV. *Dari habitus, probatur.*

Quæritur primò de istis habitibus, an dentur. Sunt enim aliqui qui nullos agnoscunt, & ad potentias naturales a Deo rebus insitas, ea quæ habitibus tribuuntur referre malunt. Sed experientiâ ipsâ redarguuntur. Experimur enim, non usu & frequenti eorundem actuum repetitione, facultatem quandam ad actus similes exercendos comparare. Cùm autem facilitas hæc perseveret etiam cessantibus actibus, necesse est ut à qualitate aliquâ reali & permanente oriatur quæ in nobis jam sit, cùm antea non esset quando difficultatem & molestiam in iis sentiebamus.

ebamus. Probatur etiam id ipsum, ex habituum necessitate. Quamvis enim homo per potentias naturales aptus sit ad absolutè & indeterminatè operandum, tamen ut facilius & promptius operetur, & quidem determinatè, opus est ei aliâ qualitate, à qua illa operandi facilitas & promptitudo oriatur. Ea autem est quam habitum dicimus. Unde etiam habitus non est necessarius ad substantiam actus, sed tantùm ad ejus facilitatem & promptitudinem. Non enim requiritur absolutè ad hoc, ut eliciatur, vel sit actus, sed ut facilius & promptius eliciatur. Absolutè enim loquendo potentia est sufficiens ad efficiendum actum sine tali habitu, alioqui nunquam posset actus præcedere habitum; quod tamen falsum esse constat.

V. *Occurritur objectioni.*

Objicitur in contrarium; Si habitus daret facilitatem & promptitudinem operandi, sequeretur eum, qui ex perfecto virtutis habitu agit, minus laudis meteri illo, qui sine habitu actum honestum exercet. Cæteris enim paribus quò plus est difficultatis in aliquo opere, eò plus quoque est meriti. At consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Sed respondeo duplicem in opere aliquo difficultatem spectari posse, unam ex naturâ operis, alteram verò ex parte operantis; & priorem quidem laudis meritum augere, nec unquam ab habitu minui; posteriorem verò non augere meritum, cùm procedat vitio operantis, qui suâ culpâ difficultatem in actione, alioqui facili, sentit, v. g. ebriosus in abstinendo à nimio potu; Et hæc difficultas est, quæ habitu minuitur.

VI. *Quodnam sit habituum subjectum.*

Jam de habituum subjecto videndum est, quatenus id ad virtutis & vitii naturam cognoscendam facit. Cum autem duæ sint principes humanæ animæ facultates, intellectus & voluntas, quæritur primò an intellectus idoneum habituum sit subjectum. Affirmativam autem partem esse veram, ex eò apparet, quòd intellectus per actus sæpiùs repetitos, facilè & promptè, & jucundè operandi facultatem sibi comparat, ut experientia docet. Ista facilitas, promptitudo & jucunditas aliundè proficisci non potest, quàm ex habitu acquisito. Sed objicitur, intellectum, positis omnibus ad agendum requisitis, necessariò agere; e. g. posito assensu præmissarum, necessariò conclusioni assentitur. Ergo omnem habitum in illo esse superfluum. Resp. id non sequi. Nam id, quòd intellectus positis omnibus ad agendum requisitis, non potest suspendere suum actum, non impedit quominùs habituum sit capax. Possunt enim simul cohærere duo principia, quorum unum omninò determinet, alterum verò tantùm inclinet, & facilitatem, jucunditatemque actioni conciliet; siquidem aliud est necessariò agere, aliud facilè, & jucundè agere, illudque absque hoc consistere potest. Secundò, disputatur de voluntate, an in eâ existant habitus. Inesse autem inde probatur, Quia experientia docet, quod post multos virtutis alicujus actus, v. g. temperantiæ, mansuetudinis, voluntas majorem ad actus similes deinceps exercendos facilitatem experiatur, quàm antea. Hæc autem facilitas aliundè quàm ex habitu proficisci non potest.

Con-

Considerandæ quoque sunt obiter causæ habituum procreantes & corrumpentes. Causa efficiens habituum, & quidem proxima, sunt actus. Iteratprum enim actuum vi produci solet habitus; & quamdiu actus ipsi non poluntur, tamdiu neque ipse habitus poni potest. Objicies, Potentiam continere actum suum; ergo & habitum, qui mediante actu producitur. Sed facilis est responsio, Potentia enim continet habitum remotè solum, seu ut causa remota, non autem proximè. Atqui remota causa sine proximâ nihil operatur.

VII. *Habituum Causæ.*

VIII. *Quando habitus sit acquirendus.*

Quæritur hîc, an habitus uno actu acquiri possit. Respondeo, habitum perfectum vix uno actu acquiri posse, sed ad ejus productionem plures actus requiri; ita tamen ut primus actus non sit plane otiosus & inefficax, sed inchoet habitum, sequentes vero augeant & perficiant habitum, donec ille ad statum suum pervenerit. Id quod hoc exemplo declaro; Fac Petrum nunc exercere primum temperantiæ actum. Hic primus actus vel nihil relinquet in voluntate, vel relinquet saltem aliquem levem & inchoatum habitum. Si relinquit, habemus quod volumus. Si nihil relinquit, certè nec secundus temperantiæ actus relinquit habitum, atque adeò nec tertius, nec quartus, nec cæteri. Nam cur potiùs per quartum actum, quàm per tertium aut secundum inchoaretur habitus, cum omnes illi actus ejusdem sint naturæ? Ita aquæ guttæ in lapidem cadentes, eum nunquam excavarent, nisi prima gutta faceret aliquid in lapide. Cur enim secunda potiùs gutta, quàm prima, præstaret aliquid ad excavationem con-

III.

ducere? Quemadmodum ergo prima gutta aliquid ad lapidem excavandum confert, sic primus actus aliquid confert ad habitus productionem, proindeque aliud imprimit potentiæ, seu illud quod imprimit, aliud esse non potest quàm habitus, saltem inchoatus. Primus enim actus inchoat id ipsum, quod per sequentes actus perficitur. Atqui sequentes actus perficiunt habitus productionem, illam novorum graduum adjectione intendendo.

IX. *Quodnam subjectum habitus difficulter introducatur.*

Difficilius est habitum introducere in subjectum, in quo contrarius habitus reperitur, quàm in illud, quod indifferens est ad contrarios habitus plures diversos. Contrarius enim iste habitus, suæ contrarii introductioni resistit atque repugnat. Ideóque ad talis habitus productionem, unus actus non sufficit, sed necessariò plures requiruntur, qui repugnantiam & resistentiam illam tollant.

X. *Habitus augmentum duplex; vel intensivum,*

Sicut per iteratos actus acquiritur habitus, ita etiam per eosdem conservatur & augetur. Augmentum habitus duplex est, unum intensivum, alterum extensivum. Augmentum intensivum est cum habitus novorum graduum adjectione augetur & roboratur. Quæritur verò, an actus illi, per quos intenditur habitus, sint primo similes, per quem habitus accepit initium, vel verò dissimiles; item an sint æquales, vel inæquales? Respondeo, illud augmentum semper fieri per actus similes, sed non semper per actus æquales. Necesse enim est, ut actus, quibus habitus cum acquiritur, tum intenditur & roboratur, semper sibi inter se similes, non tantum quoad eandem essentiam specificam, sed eti-

etiam quòd ad idem objectum circa quod versantur, & quòd ad eundem modum tendendi in illud objectum. Sed non necesse est ut semper sint æquales, cum fieri possit ut ex illis actibus, unus sit intensior, alter verò remissior.

XI. *vel extensivum.*

Augmentum habitûs extensivum est, cùm ad diversos actus & objecta diversa ex eodem motivo extenditur. Sic temperantiæ habitus, qui circa voluptates gustûs requisitus est, moderatione cibi & potûs sæpe repetitâ, ex motivo illius honestatis, quæ temperantiæ propria est, quandam extensionem suscipere potest, quatenùs ex ejusdem honestatis motivo ad voluptates tactûs seu venereas moderatè appetendas extenditur; adeo ut non sit novus habitus, sed quædam ejus extensio ad novam materiam, ex eodem objecto formali seu causâ movente. Id verò ita se habere, probatur ex eo, quòd voluntas non consentiat in actum alicujus virtutis exercendum, nisi ex motivo honestatis, quæ tali virtuti propria est. Inde enim sequitur, ut si eadem honestas occurrat in diversis actibus, voluntas ejusdem habitûs vi, sufficientem habitura sit ad omnes illos actus facilitatem.

XII. *Quod habitus minui, & corrumpi possint, & unde id fiat.*

Ut habitus paulatim acquiruntur & augentur, ita paulatim quoque remitti, seu minui, tandémque omninò corrumpi possunt. Id quotidiana testatur experientia. Videmus enim interdum homines, in quibus habitus alicujus virtutis aut vitii radicatus erat, habitum illum amittere, contrariúmque induere, vel fidem de servore suo præcedente in virtutis aut vitii exercitiis multùm remittere. Ita ut illi contra Solem loquantur, qui id negant. Quæritur autem

unde

unde id fiat. Respondeo, causam tàm remissionis quàm amissionis habituum esse duplicem, aliam negativam, aliam positivam. Negativa est cessatio seu intermissio actuum, quibus habitus acquisitus est, & conservatus atque auctus. Omnes enim habitus acquisiti, sunt qualitates ex naturâ suâ fluxæ & caducæ, quæ sponte suâ paulatim minuuntur, & desinunt: veluti impetus, quo rota circa axem suum circulariter movetur, paulatim minuitur, & nisi crebris impulsibus identidem renovetur, tandem omninò desinit. Positiva causa diminutionis & cessationis habituum, est exercitium contrariorum actuum, per quos cum alij habitus contrarij acquirantur, ita fit ut habitus fortior debiliorem facilè de sede suâ deturbet. Sic actus mansuetudinis expellit iracundiæ habitum, aliquid de mansuetudinis habitu introducendo, qui si continuatis actibus crescat, oportet alium oppositum non tantùm minui, sed & penitùs desinere, veluti ignis qui calorem in aquam introducit, si continues, frigus ipsius naturale tandem omninò perimit & extinguit.

XIII. *An & quando habitus uno actu oppositi amitti, & corrumpi possit.*

Sed habitus potest-ne uno actu oppositi amitti & corrumpi, v.g. virtus, unâ actione malâ; & vitium, unâ actione bonâ? Resp. Quemadmodum rarò contingit, ut habitus uno actu generetur & acquiratur, ita non facilè fieri, ut uno actu oppositi amittatur & corrumpatur; sed pluribus actibus ad id efficiendum opus est. Verumtamen quidam vitii actus sunt adeò turpes, ut habitum virtutis oppositum simul & semel extinguant; veluti venenum quoddam, quod malignitate suâ vitam animalis statim extinguit.

tinguit. Sic adulterii actus confestim castitatis habitum perimit. Et contrà, quidam virtutis actus sunt adeò excellentes, ut contrarium vitii habitum omninò perimant, v. g. martyrii actus timiditatis habitum statim tollit. Nisi fortè istos actus, qui simplices esse primo intuenti videntur, dicas revera esse multiplices, quatenus ex firmo & perseverante animi proposito ortum habuerunt. Et hæc ad genus virtutis declarandum sufficiunt.

XIV. *De definitionis virtutis differentiâ, quam in mediocritate posuit Aristoteles, & quare.*

Differentiam ejus quod attinet, Aristoteles, ut suprà vidimus, eam in mediocritate posuit, propterea quòd plerumque virtus inter duo vitia extrema versatur, quorum unum in excessu peccat, alterum verò in defectu; v. g. liberalitas inter avaritiam & prodigalitatem, fortitudo inter audaciam & timiditatem; deinde etiam, quia moderatur omnes affectus & actiones naturales, ne à recto tramite exorbitent, & plus aliquid aut minus in iis inveniatur quàm oportet. Unde illud vulgatum, Medium tenuere beati. Medium autem duplex est, aliud Arithmeticum, aliud Geometricum. Illud est, quod æqualiter distat à suis extremis, atque sic omnibus & ubique semper est idem. Ita lex æqualiter distant à tribus & novem, quia quantùm sex excedunt tria, tantùm exceduntur à novem. Hoc verò est, quod non servat æqualitatem distantiæ ab utroque extremo, sed tantum æqualitatem rationis, seu proportionis, quæ unis extremorum aliquando est vicinior, quàm alteri; qualis est in sex respectu trium & duodecim, quorum medium tenet; ut enim 3. bis in 6. continentur, ita 6. bis in 12. Neque semper

eadem

eadem permanet, sed pro ratione circumstantiarum temporis, loci, & personarum variat. Et in hoc medio Aristoteles vult virtutem consistere. Sic liberalitas debet esse accommodata tùm danti, tùm accipienti; unde fit ut pauper exiguum numisma de suâ pecuniâ dando alteri, possit dici liberalis, & si dives idem faceret, meritò censeretur sordidus. Item liberalis vocabitur qui incognito mediocre quippiam largitur, qui si non plus daret fratri aut consanguineo, avaritiæ infamularetur.

XV. *Cujus sententia rejicitur, & ob quas rationes.*

Verùm etsi hæc Aristotelis sententia ad veritatem maximè accedat, non caret tamen omni defectu. Nam primùm, quod medium virtutis vult pendere à definitione viri prudentis, illam in incerto ponit, cùm judicia prudentium variare soleant, & quod huic videtur esse verum medium, alius pro extremo habeat. Atqui virtutis normam certam & fixam esse oportet. Deinde, sunt quædam virtutes, quæ in mediocritate non consistunt, sed in extremis: ita Deus non est mediocriter amandus, sed ad extremum nostræ potentiæ. Neque etiam justitia medium tenet inter duo vitia, quorum unum ei repugnet in excessu, alterum in defectu. In illam enim nunquam peccatur excessu; quod sic ostendo; Petrus debet Joanni decem florenos intra biduum restituendos, sed anticipando tempus hodiè reddit, & pro decem florenis duodecim ei numerat. In eo facit quidem plus quàm justitia exigit, quia antevertit tempus solutionis, & dat supra debitum: sed in neutro tamen contra justitiam peccat; imo id potest esse eximium misericordiæ opus, si habitâ ratione indigen-

digentiæ sui creditoris id faciat. Melius itaque essentialis differentia virtutis collocatur in conformitate cum lege, quæ est regula fixa & immota, quàm in mediocritate, cujus definitio ab alterius arbitrio pendet; & ex opposito vitium rectius definitur per discrepantiam à lege, quàm per excessum aut defectum. Quid autem per legem intelligamus, ex superiore capite patet, ubi etiam varias illius species recensuimus. Virtutis autem est, omnibus illis legibus obtemperare, aut saltem nullam transgredi, nisi forte aliqua lex humana esset, quæ juberet quod lex divina vetat, aut vetaret quod illa jubet. Illa enim cum nomine legis indigna foret, neque ad obedientiam obligare valide quemquam posset.

XVI. *Vitium quot modis accipiatur, quomodo hic; & an in solo habitu sit collocandum.*

Virtuti oppositum est vitium, quod est actio & habitus à lege dissentiens. Aliquando sumitur vitii vox pro quocunque defectu, sive naturali, ut claudicatio vitium corporis dicitur, debilitas memoriæ vitium animi; sive artificiali, ut vitium scripturæ est cum peccat in orthographiâ; sive morali, quod in pravis moribus consistit, quale est furtum, homicidium. Hic in postremâ significatione accipimus. Aristoteles autem, & qui eum sequuntur, id in solo habitu collocant. Sed sicut antea de virtute ostendimus, eam non in habitu tantùm, sed etiam in actione, idque imprimis, consistere; ita etiam de vitio statuendum est; oppositorum enim eadem est ratio: alioqui furtum & homicidium aliaque similia non essent vitia appellanda, antequam in habitum transiissent, quod est absurdum. Itaque peccatum & vitium pro synonymis habemus, quæ alii ut actionem & habitum inter

inter se distinguunt. In definitione autem tum virtutis tum vitii, sub actione etiam cessationem ab actione comprehendo. Abstinere enim ab agendo aliquando est virtus, ut si quis occasione datâ abstineat à furto, ebrietate: aliquando verò est vitium, ut cum quis abstinet à precibus, vel à benefaciendo pauperi.

XVII. *In quo collocanda sit vitii forma.*

Formam vitii Aristoteles in excessu vel defectu à medio virtutis collocat. Sed licèt id de plerisque vitiis verum esse fatear, tamen in omnibus absque exceptione locum non habet; sicut ex iis quæ ante de virtute dixi liquere potest. Nam si omnis virtus non consistat in medio, neque omne vitium etiam in recessu à medio consistet. Melius itaque forma seu essentia vitii ponitur in discrepantiâ à lege, sive illa lex sit naturalis, sive positiva, sive divina, sive humana; modò hæc, ut aliquando contingit, observatu non sit injusta, cum in tali casu legis nomine indigna est, quamvis à tyranno aliquo pro tali obtrudatur.

XVIII. *Virtutis Causæ.*

Causa efficiens virtutis alia est prima, alia secunda. Prima est Deus auctor & fautor omnis boni in naturâ, & supra naturam. Nam *omnis datatio bona & omne perfectum donum est supernè, descendens à patre luminum, Jac.* 1. 17. Quod etiam Cicero agnovit, dicens, *Nemo vir magnus sine afflatu divino.* Contrà, vitii causa prima est Diabolus, omnis mali auctor & fautor, qui primus in Deum peccavit, primusque hominem ad peccandum sollicitavit. Secunda virtutis causa, est vel intra hominem, vel extra. Intra hominem, vel in animo est, vel in corpore. In animo est tùm intellectus, tum voluntas; quo-

rum

rum ille est causa virtutis cognoscendo & judicando id quod legi est conforme; hæc verò id sponte eligendo & amplectendo. Quibus si accedat crebra exercitatio, virtutis habitus acquiritur. Inter cætera, quotidiana sui exploratio multùm facit ad proficiendum in virtute: de quâ Pythagoras in aureis carminibus. Virgilius in viro bono:

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei:
Quo prætergressus, quid gestum in tempore, quid non, &c.

In corpore est bonum temperamentum, per quod fit, ut aliquis ad virtutem facilius assuefieri possit, quàm si pravum esset. Unde dici solet, Gaudeant bene nati. Et

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.

Extra hominem, causa virtutis est recta educatio, & institutio. Contraria omnia sunt in vitio, intellectus malè judicans, voluntas malè eligens, & nulla vel prava exercitatio. De quibus omnibus vide quæ supra cap. 2. de principiis actionum humanarum dicta sunt.

XIX. *utrùm virtutes & vitia bomini sint naturalia.*

Hinc videre est, quid respondendum sit ad quæstionem, utrùm virtutes & vitia sint homini naturalia, ut voluerunt Stoici; an verò acquisita, ut placuit Peripateticis. Illius explicatio maximam partem pendet à variâ acceptione hujus vocis, Naturale. Primò enim id naturale dicitur, quod est natum à nobis insitum, ut potentiæ naturales. Secundò, quod sponte prodit virtute naturæ solius, ut dentes in infantibus, barba viris. Sed neutro istorum sensuum, virtus aut vitium est nobis natura. Nam quæ natum à con-

constant, non possunt aliter assuefieri, sic homo nullâ arte aut excitatione potest assuefieri, ut in aquâ aut igne vivat. Sed facilè tum vitiosis tum honestis actionibus assuescit. Præterea, in ijs quæ sunt à naturâ, potentia præcedit habitum; sed in virtutis & vitij negotio contrarium videmus: actio enim honesta & prava antecedunt virtutis & vitij habitum; nam sicut qui in tibiâ canendo se exercet, fit tibicen; ita qui temperantiæ aut intemperantiæ actiones frequenter exercet, temperans aut intemperans evadit. Verum quidem est, nos propter naturæ & temperamenti corruptionem, ad vitia multò promiores esse, quam ad virtutem. Sed pronitas illa ad vitia, non est vitium morale, sed morbus naturæ, nec efficit ut vitium nobis sit naturale, aho qui corrigi non posset, cum naturalia non mutentur. Deinde, ejusmodi pronitas inde oritur, quòd virtus in arduo consistat, vitium verò in ijs quæ sensibus arridenr, quibus ita à teneris assuescimus ante rationis usum, ut postea difficile sit sensuum illud imperium excutere. Tertiò, naturale dicitur id, ad quod acquirendum natura nobis capacitatem & principia concessit. Quartò, quod naturæ nostræ conveniens est & valdè congruum. Hisque duobus modis virtus dici potest homini naturalis. Siquidem naturalem virtutis comparandæ capacitatem habet, ut patet ex lege naturæ, cordi ejus à principio inscriptâ, cujus ope honestum à pravo discernit, illudque amplectendum judicat, hoc vero fugiendum. Deinde etiam virtus est homini, ut homo est, valdè consentanea, cùm per eam disponatur ad vivendum conformiter naturæ rationali.

nali. Quod ad vitium verò attinet, sunt quidem illius principia in nobis naturâ, ut liberum arbitrium, & inclinatio ad ea quæ sensibus sunt grata; sed tamen naturæ rationali, ut rationalis est, (cujus est imperium in sensus obtinere, eosque sibi subjicere;) non est conveniens, eoque præternaturale potiùs quàm naturale dici debet.

XX. *Virtutis finis.*

Finis primarius ad quem tendit virtus, est gloria Dei, quæ ultimus actionum nostrarum omnium scopus esse debet. Huic subordinatus est beatitudo nostra, tùm præsentis tum futuræ vitæ, & proximorum, atque adeò totius reipublicæ bonum. Eadem prout obtenta, sunt illius effecta.

XXI. *Subjectum tàm virtutis, quàm vitii.*

Subjectum tùm virtutis tum vitii est homo, idque respectu potiùs animæ quàm corporis; sed utrùm in voluntate, an verò in appetitu sensitivo immediatè sedem suam habeant, frustrà, aut saltem non magno cum fructu videtur disputari; cum nondum constet an facultates istæ à se invicem realiter differant, an tantùm nostro considerandi modo. Ad unam enim eandemque rem ferimur cum appetitu sensitivo, tum voluntate, vel ab eâdem abhorremus; illudque dicitur fieri, cum rationem in consilium non advocamus, hoc verò, cum eam advocamus. Sed sæpe ista inter se ita sunt connexa, ut nesciamus ipsi, utrùm voluntas an appetitus in nobis agat. Attamen, cum virtus & vitium sint actiones & habitus hominis, qui homo est & rationalis, in voluntate potiùs, quæ facultas est rationalis, quàm in appetitu irrationali, sedem suam habere.

XXII. *Virtutis adjuncta, tria tantùm; primum, sinceritas.*

Adjuncta virtutis sunt tria, Sinceritas, constantia, & connexio unius cujusque virtutis cum aliis. Sinceritas est, per quam virtuti nihil ficti & simulati inest, sed qualis exterius apparet, talis etiam interiùs & revera est. Ea est primum virtutis condimentum, sine quâ virtus nihil nisi larva & umbra est. Et commendatur nobis à Christo, dicente, *Prudentes estote ut serpentes & sinceri ut columbæ. Matth.* x. 16. Et Paulo, *Volo vos sapientes quidem esse in rebus bonis sinceros vero in malis, Rom.* xvi. 19. Et opposita est hypocrisis; per quam aliquis alius videri cupit, quàm reipsâ est, probus nempe cùm sit improbus. Tales sunt qui appropinquant Deo ore suo, &c. *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis honorat me*, inquit Deus; *cor autem suum procul amovet à me, Isa.* xxix. 13. & *Mat.* xv. 8. & *qui confitentur se nosse Deum factis autem negant, Tit.* i. 16. 2 *Tim.* iii. 5. Tales maximè sunt abominationi Deo, quem unà cum hominibus, dissimulatione suâ decipere velle videntur. Vide *Prov.* xi. 20. & *Psal.* l. 16, 17. Et gravissimè illud vitium punitum est in Ananiâ & Sapphirâ, *Act.* v.

XXIII. *Secundum, Constantia.*

Constantia est, quâ virtus ad finem usque perseverat, & neque prosperis neque adversis à recto tramite dimovetur. Ea est veluti columna sustentans splendidum virtutis palatium. Et commendatur nobis à Christo dicente, *Qui perseveraverit usque ad finem salvus erit, Mat.* xxiv. 13. Et opponitur inconstantia, quâ quis aut prosperis delinitus, aut adversis fractus, virtutem, quam amplexus erat, deserit. Ejus causæ ostenduntur à Christo in parabolâ seminantis &

semi-

seminis, *Mat.* xiii. 3. &c. Et à Jacobo *cap.* i. 8. *Vir duplex inconstans est in omnibus viis suis.*

XXIV. *Tertium, Connexio.*

Omnes virtutes ut sunt in statu perfecto connexionem habent mutuam inter se, ita ut nulla perfectum statum habere queat sine societate cæterarum. Sed quod ad imperfectas attinet, nihil obstat quominùs una absque aliis subsistere queat. Ita liberalitas potest esse absque mansuetudine, vel contra; quia si formalem utriusque rationem spectes, ex toto genere inter se differunt. Sed in statu perfecto non possunt, quia non potest esse perfectum propositum unam virtutem exercendi, cum alterius contemptu: secundum illud Jacobi, *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, cap.* ii. 10, 11. Animus enim virtute verè imbutus, omnibus legibus obedire proponit. Unde qui aliquas spernit, fieri non potest ut alias sincerè observet: Et quod facit iis conforme, ab aliquo alio fonte proficiscitur, quàm ab animo verè honesto.

XXV. *Virtutis divisiones.*

Virtutis generales divisiones ex adjunctis sunt, quòd 1. Alia sit ordinaria, alia extraordinaria. 2. Alia perfecta, alia imperfecta. Virtus ordinaria est, quæ secundùm essentiam suam spectatur in homine quocunque vulgari, qui nihil habet quo supra cæteros bonos & honestos magnoperè emineat. Virtus extraordinaria est, quæ secundùm eminentiam conspicitur in statuis divinis seu heroicis. Heroica virtus ex peculiari spiritus divini afflatu proficiscitur, illiusque notæ sunt impetus extraordinarius sive raptus divinus, & constantia summa. Talisque fuit in Abrahamo, Mose, Davide, Elia, aliisque

Prophetis & Apostolis. Ei opponitur feritas, quæ omnem honestatem exuit, & absque conscientiæ fræno in omni vitiorum genere se volutat. Talis fuit Neronis, Caligulæ, & similium monstrorum barbaries, atque immanitas. Virtus perfecta est, quæ induit naturam habitûs, & cum facilitate & jucunditate exercetur. Virtus imperfecta est, quæ nondum ad habitum pervenit, & non absque luctâ & molestiâ exercetur. Aristoteles eam vocat ἐγκράτειαν, id est, continentiam.

XXVI. *An de vitiis in Ethicâ agi debeat; & an, sicut virtutes, sint inter se connexa.*

De vitiis quæ virtuti sunt opposita, quæritur 1. An de iis in Ethicâ agi debeat? Resp. Omninò, etsi non per se & primariò, tamen per accidens & secundariò: nimirum ut ab iis caveatur, & ut sanentur; sicut in medicinâ tractatur de morbis, & de venenis, ut in Logicâ de sophismatis. Itaque deinceps de iis simul cum singulis virtutibus tractabimus, & quomodo iis tùm in excessu tùm in defectu opponantur, considerabimus. 2. Quæritur, An vitia sint inter se connexa, sicut suæ virtutes. Resp. Omninò, si non externâ praxi, saltem in animo. Nam cujus animus est pravus, & nullo virtutis amore ductitur, non verebitur datâ occasione, omni se vitiorum genere volutare. Attamen fatendum est, vitia in quibusdam non ita esse profundè radicata, ut in aliis. Sunt enim, qui luctantur adversus vitia, antequam iis succumbant, & iis perpetratis dolent, etsi non satis fortes sint ut emendent. Alii verò cum voluptate summâ ea perpetrant, & nullum animi morsum sentiunt, quos Paulus vocat ἀπηλγηκότας, *Ephes.* iv. 19. & dicit se dedere proter-

via,

vix, ad certatim parandam impunitatem omnem.

CAPUT VIII.

De Prudentiâ.

ATque hæc de virtute in genere, sequuntur ejus species. Virtus alia est dirigens seu gubernans, alia directa seu gubernata. Virtus dirigens est quæ moderatur reliquas virtutes, ita ut sine eâ nulla virtus perfecta esse possit. Eaque est prudentia, à providendo seu potiùs videndo dicta, Græcè φρόνησις. Illa est virtus dirigens, quæ proposito honesto fine, præscribit & sequitur media honesta & accommodata ad istum finem obtinendum. Aliquando sapientia vocatur. Sed accuratè loquendo ex sunt inter se distincta, cum sapientia circa θεωρητὰ versetur, prudentia verò circa πρακτά. Cùm autem prudentia alia sit naturalis, quæ est congenita mentis perspicacia, alia verò acquisita; prior non est Ethicæ considerationis, sed tantùm posterior. Item cùm alia sit personalis seu solitaria, quâ quis in singulis suis actionibus spectat quid agere debeat, proprium bonum intendens; alia verò socia, quæ est vel œconomica, vel politica, vel legislatrix, vel judiciaria, &c. Illa simpliciter & absolutè prudentia dicitur, de eâque hîc tractandum, hæc verò ad alias disciplinas pertinet.

I. *De virtute dirigente, scil. prudentiâ; quæ, quotuplex & qualis tandem ea sit, quæ Ethicæ est considerationis.*

II. *Utrùm prudentia sit virtus moralis, an intellectualis.*

De prudentiâ autem quæritur an sit virtus moralis, an intellectualis? Resp. Illam esse intellectualem respectu subjecti; siquidem in intellectu sedem suam habet: Sed est moralis respectu objecti, quia versatur circa agenda, vel fugienda.

III. *Quibus actibus constet prudentia, & quot sint ejusdem officia.*

Prudentia tribus constat actibus, nimirùm præsentium scientiâ, præteritorum reminiscentiâ, & futurorum prospicientiâ. Tria item sunt ejus officia, videl. 1. Benè consultare & inquirere media. 2. Benè judicare de mediis inventis. 3. Præcipere ut ea quæ judicata sunt, executioni mandentur. Virtus est omnium tum excellentissima, tum difficillima. Excellentissima, quia dirigit alias, eisque præluçet. Difficillima, propter lubricitatem objecti, quod est singulare, & secundum circumstantias variatur, nec certis regulis & universalibus comprehendi potest. Nemo est verè prudens, nisi idem sit vir bonus; qui verò boni non sunt, potiùs astuti & callidi dicendi sunt, quàm prudentes. Pravitas enim pervertit judicium, & facit ut nec veri finis bonitatem sectetur, nec recta media ad eum assequendum adhibeat. Custos prudentiæ est temperantia. Ea enim removet voluptates, & omnem luxuriam, quæ maximè est inimica prudentiæ.

IV. *Prudentiæ species.*

Prudentiæ duæ sunt species; alia enim religiosa est, alia verò civilis. Prudentia religiosa est, per quam homo sectatur ea quæ ad cultum Dei pertinent & observationem mandatorum ejus. Ea dictat 1. Optima deberi optimo, ac proinde, cùm Deus sit optimus, eum supra omnia amandum esse. 2. Æterna caducis præferenda

renda esse, 2 *Cor.* iv. 18. Ideóque hujus vitæ bona & voluptates esse spernendas, ut æternis potiamur. Prudentia civilis est, quæ curat ea quæ faciunt ad vitæ præsentis commodum & conservationem. In quâ cavendum est, ne cum neglectu cultûs divini, & melioris vitæ id fiat. Hæc enim jam non esset vera prudentia civilis, quæ debet ancillari religiosæ, sed animalis & diabolica, quam insectatur *Jac.* iii. 15. De utrâque, tam religiosâ quàm civili, potest intelligi illud Christi, *Mat.* x. 16. *Prudentes estote ut serpentes.*

V. *Quid sit prudentis munus.*

Prudentis est metiri suas vires, ne subeat onus, cui non sit ferendo, & cujus pondere obruatur. Huc spectat parabola de volente ædificare turrim, aut bellum gerere, *Luc.* xiv. 28. & *seqq.* Prudentia docet uti occasionibus oblatis, ne effluant, & amissæ frustrà requirantur; nam, *fronte capillata est, sed post occasio calva.* Illius quoque munus est pretia rerum rectè ponderare, ne ob res exigui momenti multum sumamus operæ, aut magnos faciamus sumptus, aut in periculum nos conjiciamus. Eadem suadet non se immiscere alienis negotiis, nisi rogatum, nec satagere rerum alienarum, nisi ut profis proximo.

VI. *Ad prudentiam comparandam quænam requirantur.*

Ad prudentiam comparandam varia requiruntur; primùm naturæ bonitas, sine quâ fieri nequit, ut quis in eâ excellat: Temperamentum autem melancholicum ad eam aptius est, quàm biliosum aut pituitosum. Biliosi enim sunt præcipites, & pituitosi stupidi & tardi. Deinde, nervi prudentiæ sunt diffidere. Præfidens enim animus, & omnis suspicionis expers, sæpe impingit. Sed maximè prudentiam affert experientia

rientia, quæ cum ratione conjuncta est, omnium rerum magistra. Sed experientiæ duo sunt genera; una, quam quis per se adipiscitur, & suo ipsius periculo; altera verò, quæ acquiritur per alios, & alieno exemplo. Horsùm multùm prodest historiarum lectio, præcipuè earum, quæ non nudas factorum narrationes continent, sed in causas singulorum diligenter inquirunt.

VII. *Illius oppositum.*

Opposita est prudentiæ imprudentia, cujus contrariæ sunt causæ, adjuncta & effecta.

CAPUT IX.

De Pietate.

I. *Quòd virtus directa duplex sit; de posteriori, vid. cap. 14. Prior est tum pietas, de quâ hîc; tum probitas, v. c. x.*

VIrtus directa est, quæ pendet à diligente, & circa objectum aliquod speciale versatur; cùm illa omnia promiscuè moralia consideret. Eáque est vel omnium hominum communis, vel quorundam statuum particularis. Virtus omnium hominum communis est tùm pietas, tùm probitas. Pietas est Dei rectè cogniti, rectus cultus. Alio nomine vocatur religio: licèt sub hâc voce etiam probitas comprehendatur, quatenùs propter Deum exercetur, *Jac.* i. 27. Tam latè etiam aliquando pietatis vox accipitur, ut officia consanguineis, præcipuè parentibus & patriæ debita, designet. Sed hîc in strictiore significatione usurpamus.

II. *Quæ requirantur ad rectum Dei cultum, & qualis cultus Ei optimè conveniat.*

Ut autem rectè Deus colatur, duo requiruntur; primum, ut honor ei exhibeatur, qui supremæ ejus majestati conveniat: secundum,

ut

ut ei soli exhibeatur. Is verò Dei cultus majestati ejus optimè convenit, qui demississimus est & spiritualis. Demississimus quidem, quatenus nos coràm eo nihil aliud quàm pulvis & cinis sumus, *Gen.* xviii. 27. Spiritualis verò, quia Deus est spiritus, & in spiritu in veritate vult coli, *Joan.* iv. 24. Nullum etiam vult à nobis in consortium istius cultûs assumi, *Deut.* vi. 13. *Mat.* iv. 10. Deus enim zelotypus est, qui gloriam suam non dabit alteri, *Esa.* xlii. 8. Nomine autem alterius non includitur Jesus Christus Mediator noster apud Deum, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, & quem Pater vult à nobis honorari sicut ipsum honoramus. *Joan.* v. 22, 23. *Phil.* ii. 9, 10, 11.

III. *Pietatis oppositæ.*

Pietati opponitur partim impietas, partim superstitio, illa quidem in defectu, hæc verò ut videtur in excessu, licèt propriè loquendo nulla nimia erga Deum pietas esse possit. Impietas est vitium, Deo cultum debitum denegans. Eáque est duplex: vel enim denegatur Deo is cultus qui majestati ejus summæ convenit, vel non soli exhibetur. Priori modo peccant 1. Athei, qui Deum nullum agnoscunt, aut saltem nullam hominum curam gerere putant, ac proinde frustrà coli. 2. Qui falsa numina colunt. 3. Qui Deum verum aliquo quidem modo agnoscunt, sed non debito modo colunt; utpote qui vel præter eum alios quoque religioso cultu prosequantur, vel eum in imagine effingant. Superstitio est tum vanus & ridiculus Dei cultus, tum etiam anxius & nimius ejusdem metus; cum iis rebus offendi putatur, quibus tamen nullo modo offenditur.

Cultus

IV. *De variis cultûs Dei actibus; & primò de fide, quid, & quotuplex sit.*

Cultus Dei nomine varii actus comprehenduntur, nempe fides, spes, amor, timor, obedientia & honor. Fides in genere considerata, est assensus mentis erga ea quæ à Deo nobis sunt revelata. Eáque duplex est, vel imperfectior vel perfectior. Imperfectior quæ pietatem & obedientiam mandatorum divinorum conjunctam non habet; qualis est fides dæmonum, qui credunt Deum unum esse & contremiscunt, *Jac.* ii. 19. Perfectior verò fides pietatem & mandatorum divinorum obedientiam necessariò secum trahit. Utraque est vel in Deum tantùm, qualis est piorum quibus Christus revelatus non fuit: vel in Deum & Christum simul, quæ propria est religionis Christianæ. De priore accipiendum est illud Apostoli, *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, *Heb.* xi. 6. In posteriore verò illud Christi, *Creditis in Deum, & in me credite*, *Joan.* xiv. 1. Perfectior fides Evangelica, quæ justificans vulgò dicitur, nihil aliud est, quàm fiducia per Christum in Deum collocata, obedientiam mandatorum ejus ex se pariens. Cùm enim Deus salutem nobis promiserit sub hâc conditione, si mandata ejus servemus; positâ illâ, certa quoque est nostra fiducia, deficiente verò, fiduciam corruere necesse est. Fiducia autem omnis in Deum & Christum non necessariò fundatur in ipsorum verbis, sed etiam in eorum bonitate, potentiâ, sciențiâ, quatenus voluntatem suam non revelaverint. In quo videtur à fide differre, quæ revelationem requirit.

Oppo-

Opponuntur fidei ab unâ parte dubitatio & incredulitas, ab alterâ nimia credulitas. Dubitatio est hæsitatio vitiosa de rebus nobis à Deo patefactis, & ad religionem pertinentibus. Incredulitas est vitium quo quis veritati divinæ, quam cognovit, vel cognoscere potuit, assensum præbere recusat. Credulitas verò nimia est vitium, quo quis sine fundamento temerè cuivis de religione doctrinæ assentitur. Fiduciæ etiam adversantur, diffidentia & temeraria confidentia.

V. *Fidei opposita.*

Spes est expectatio futuri boni à Deo vel Christo obtinendi. Et inter eam & fiduciam tam exiguum est discrimen, ut plerumque inter se confundantur. Differt autem à fide, quod fides etiam præterita respiciat, spes verò tantùm futura; item quòd fides etiam circa minas Dei versetur, spes vero tantùm in promissis ejus sit occupata. Spei opponitur dubitatio & desperatio, item temeraria spes.

VI. *Quid sit spes, & quomodo à fide differat.*

Amor seu charitas erga Deum aliquando latè accipitur, pro observatione omnium mandatorum ejus, ut 1 *Joan.* v. 3. aut speciatim mandatorum primæ tabulæ legis, ut *Exod.* xx. 6. vel strictè & propriè sumitur pro affectu, quo desideramus, ut tum à nobis tum ab aliis omnibus ea fiant, quibus Deus delectatur. Charitati Dei, opponitur ejusdem odium. In sacris autem literis non tantùm illi Deum odisse dicuntur, qui infenso sunt erga eum animo, sed etiam qui præceptis ejus sunt immorigeti, *Exod.* xx. 6.

VII. *De amore, tàm latè, quàm strictè sumpto.*

Timor Dei vel accipitur latè pro universo Dei cultu, ut *Deut.* x. 12. vel strictè & propriè pro metu, quem divinæ majestatis & potentiæ

VIII. *Timor quid & quotuplex sit.*

tentiæ consideratio gignit, quo fit ut ipsius iram & pœnas veniti, eum offendere non audeamus. Estque duplex, servilis & filialis. Servilis timor est, cùm quis Deum tanquam severum Dominum considerat, qui non solùm difficilia præcipit, sed etiam inobedientiam rigidè punit. Et talis erat timor quem gignebat vetus fœdus Mosaicum, intonans, *Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta in libro legis ut faciat ea.* Filialis verò timor est minùs anxius, utpote considerationi divinæ bonitatis, quæ planè paterna est, temperatus. Et propius est eorum, qui sub Novo Fœdere gratiæ vivunt. Timori Dei opponitur, vel carentia timoris Dei, *Rom.* iii. 18. vel superstitiosus Dei timor.

IX. *Quid obedientia.*

Obedientia est, quâ omnibus mandatis divinis animo & opere, quotiescunque se offert occasio, paretur. Eique oppositum est inobedientiæ & hypocrisees vitium.

X. *Quotuplex sit Dei honor, quid adoratio, & quibus modis adversùs Dei honorem peccetur.*

Honor Dei etiam generaliter pro universâ religione & cultu divino plerumque accipitur. Et duplex est, internus & externus. Internus est cordis reverentia, quâ ex consideratione sublimitatis & beneficentiæ divinæ, & nostræ vilitatis, Deum prosequimur. Externus consistit in signo aliquo exteriore, quo honorem illum externum testamur. Uterque adorationis nomine comprehenditur. Est autem adoratio corporis & animi coràm Deo venerabunda inclinatio, & prostratio. Accipitur quidem aliquando pro civili honore, qui hominibus, præsertim magnatibus, qualos sunt reges & principes, defertur: sed cùm de Deo agitur &

Christo,

Christo, religiosa tantùm, & omni civili infinitis partibus major animi demissio intelligitur. Adversùs honorem Dei duobus modis peccatur, vel denegando ei debitum honorem, vel superstitiosè eum honorando, aut alios honoris divini participes faciendo.

XI. *Quid sub honore Dei externo tria comprehendantur, primò Confessio.*

Honor Dei externus maximè in celebratione divini nominis consistit (cui maximè adversatur blasphemia) sub quâ confessio, juramentum, & preces comprehenduntur. Confessio est aperta & ingenua sententiæ nostræ de Deo ejusdemque cultu ad ipsius honorem facta declaratio, etiamsi eâ de causâ periculum aliquod nobis subeundum esset. Ea commendatur nobis, *Matt.* x. 32. 1 *Pet.* iii. 15. Ei contraria est ab unâ parte tum dissimulatio veritatis divinæ, tum aperta denegatio. Ab alterâ, confessio temeraria sine necessitate & spe emolumenti facta, per quam quis se subalios in periculum temerè conjicit; adversùs Christi monitum, *Matt.* vii. 6.

XII. *Secundò, Juramentum.*

Juramentum est religiosa rei alicujus affirmatio per Dei nomen tanquam veritatis testis & vindicis. Quæritur de eo an sit absolutè prohibitum à Christo sub N. F. *Matt.* v. 34. *& seq.* & *Jac.* v. 12. Resp. Non. Sed juramenta illa per cœlum, terram, &c. & levibus de causis facta, & indignis ob quæ Deus in testem advocetur. Alioqui Paulus non ita expressè jurasset, ut facit, 2 *Cor.* i. 23. dicens, *Ego testem Deum invoco in animam meam.*

XIII. *Tertiò, Precationis.*

Precum nomine tum imploratione opis divinæ, tum gratiarum actionem pro acceptis beneficiis intelligo: quibus opponitur omissio utri-

utriusque istius officii, vel superstitiosa illius usurpatio, cum battologiâ aliisque ejusmodi vitiis conjuncta.

CAP. X.

De Justitiâ.

I. *Probitas vel alios respicit; vel nosmetipsos, de hâc, vid. cap. 13.*

HActenus de Pietate, sequitur ut de Probitate agamus. Probitas est virtus quæ erga homines exercetur. Eáque vel alios homines respicit, vel nos ipsos. Probitas ad alios homines relata Charitatis nomine in S. L. solet designari. Cujus proprietates & elogia vide 1 *Cor.* xiii.

II. *Illius species primaria, Justitia & Civilitas; quarum prior duplex, vel universalis:*

Ejus duæ sunt primariæ species, Justitia & Civilitas. Justitia vel est universalis, vel particularis. Justitia universalis nihil aliud est nisi omnium simul virtutum complexio & concatenatio. Et hoc sensu sæpe accipitur in S. L. ubi justi tantùm illi dicuntur, qui omnia Dei mandata servant. Vide 1 *Joan.* iii. 7. *Mat.* v. 20.

III. *Ad quam pertinet æquitas, de cujus definitione & muneribus.*

Ad eam pertinet æquitas, Gr. ἐπιείκεια, quæ est juris legibus comprehensi moderatio & correctio quædam. Ita statuit lex, ut homicida capite plectatur; sed æquitas requirit, ut si quis per ignorantiam inculpatam cædem perpetraverit, ab hujus legis rigore æstimatur: propterèque instituta sunt asyla. Æquitatis duo sunt præcipua munera, plus alteri concedere quàm

ei

ei ex rigore debetur, & minus quàm leges sinant ab eo exigere.

IV. *vel particularis, quæ definitur, & tripliciter dividitur:*

Justitia particularis est virtus suum unicuique tribuens. Ea triplex est, distributiva, commutativa & correctiva. Vel potiùs justitia est vel privatorum, qui nullam in alios potestatem habent, vel magistratuum & eorum qui potestatem aliquam in alios obtinent, ut Patresfamilias, & dici potest Rectoria. Privatorum justitia est commutativa seu æquatoria. Eorum qui cum potestate sunt est vel distributiva vel correctiva.

V. *Primò, in distributivam; quæ quid sit, & quæ requirat.*

Justitia distributiva est, quæ in distributione bonorum aut onerum versatur. Per bona verò intelliguntur pecunia, honores & similia; per onera tributa, pœnæ, &c. Ea requirit ut in iis distribuendis ratio habeatur dignitatis & conditionis personarum; quod in commutativâ justitiâ locum non habet, quæ æqualitatem rerum tantùm spectat. Ideóque vulgò dicitur, quòd justitia distributiva proportionem geometricam observet, commutativa verò proportionem arithmeticam: v. g. si dividenda sint spolia inter centurionem, signiferum & milites, majorem partem accipiet centurio quàm signifer, & signifer quàm gregarii milites; Et si imponenda sint tributa toti alicui communitati, majorem partem ferre debent divites quàm pauperes, & unusquisque pro ratione facultatum suarum. Sed in contractibus emptionis, venditionis, locationis, conductionis & similibus, nulla habetur ratio conditionis personarum, nec facultatum, sed æqualitas inter res servatur.

Justitia

VI. *Quotuplex etiam sit.*

Justitia distributiva est vel remunerativa, vel punitiva. Remunerativa est, quæ præmia benè merentibus retribuit. Punitiva, quæ pœnas nocentibus infert. In hâc quidem requiritur æqualitas inter pœnam & noxam, præsertim ne illa hanc gravitate superet; sed non tamen secundùm talionis legem, quæ nec in omnibus observari potest, & quamvis posset, aliquando non deberet; ut si Titius vitiaverit sororem Mævii, non propterea justum esset, ut Mævius par pari referret sorori Titii. Quâ de re vide egregium locum apud A. Gellium, lib. xx. cap. 1. Talio tamen illa approbanda est, quæ non in identitate consistit, sed in similitudine tantùm & proportione.

VII. *Secundò, in Commutativam.*

Justitia commutativa est, quæ in contractibus suum cuique æqualiter tribuit, nullo habito ad personas aut opes respectu. Per contractus autem hîc, voluntarios tantùm contractus intelligimus, qui mutuo contrahentium consensu fiunt, quales sunt emptio, venditio, permutatio, &c.

VIII. *Tertiò, in Correctivam.*

Justitia correctiva est, quæ vitia quasi contractuum emendat. Quasi contractus autem vocamus, omnis generis injurias, quæ alterâ parte invitâ oriuntur; ut furta, rapinas, verbera, cædes, contumelias. Hujus munus est inæqualitatem ex injuriâ ortam inter lædentem & læsum, ad æqualitatem præcedentem, quoad ejus fieri potest, reducere. Id autem fit, cùm judex ei qui fecit injuriam, lucrum adimit, & ei qui passus est, reddit; idque vel restituendo rem ablatam, ut in furto, rapinâ; vel aliquâ aliâ ratione satisfaciendo læso, etiam per pœnam corporalem lædenti infligêtam. Ju-

Justitiæ opposita est injustitia, quæ omnis in defectu consistit, nulla in excessu: Neque enim aliquis nimis justus esse potest, nisi fortè illum nimis justum esse dicas, qui semper τὸ ἀνεξίκακον sectatur, nullâ ἐπιεικείας ratione habitâ. Unde ortum est vulgatum illud, Summum jus summa est injuria. Quælibet autem injustitia est homini Christiano summoperè vitanda, peccat enim adversùs legem naturæ, Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris: Ideoque injusti regnum cœlorum non possidebunt, 1 Cor. vi. 9. IX. *Justitiæ oppositum.*

CAP. XI.

De Benevolentiâ, & Beneficentiâ.

SUb justitiâ comprehendi possunt tum Benevolentia, tum Beneficentia. Benevolentia est virtus per quam ad alios amandum, & pacem cum iis colendam propensi sumus. Is amicos sincerè amat, qui commodis eorum delectatur, & quantum fieri potest inservit. Unius autem sanguinis, ex quo omnes orti sumus, vinculum, & ejusdem naturæ communio, arctissima ad id faciendum obligatio est. Huic virtuti adversatur ab unâ parte odium seu ἀνθρωποστυγία, quâ alios nullâ aut levi de causâ odimus; & invidia, quâ eorum bonis tristamur: ab alterâ, nimia officiositas, quâ iis etiam in rebus malis obsequi studemus. I. *Benevolentia quid; quomodo, & quatenus exercenda; ejusdemque opposita.*

II. *Quòd studium pacis regat primò mansuetudo; quid, & quotuplex sit; quid ira, & ultio: Mansuetudinis opposita.*

Studium pacis duæ virtutes regunt, Mansuetudo & Concordia. Mansuetudo est virtus iræ & ultionis moderatrix. Ira autem est cupiditas reponendi doloris; & ultio, ipsa actualis doloris repositio. Duplex est mansuetudo, vel enim est privati erga quemcunque, vel ejus qui aliquam potestatem habet in alterum. Illa lenitas dicitur, vel generale mansuetudinis nomen retinet: hæc clementia appellatur. Irasci quidem aliquando licet, sed ita ut non peccemus, & *Sol non occidat super iram nostram*, *Eph*, iv. 26. Justa iræ causa non tam est privata, quam accepimus, injuria, quàm Dei offensa. Ultio in causâ propriâ nunquam est licita Christiano, ne quidem ea quæ fit per magistratum, *Mat.* v. 38. &c. *Rom.* xii. 19. Sed tamen ad magistratûs opem aliquando confugere licet, ut nos adversus injustam vim auctoritate suâ tueatur, aut grave aliquod damnum illatum resarciri curet, *Rom.* xiii. 4. *Act.* xxiii. 12. &c. Leviores autem injurias dissimulare & condonare debet vir mansuetus. Mansuetudini ab utrâ parte opposita est iracundia, & crudelitas; ab alterâ lentitudo, & nimia indulgentia, qualis reprehenditur in Heli, qui in scelera liberorum pro meritis non animadvertebat, 1 *Sam.* ii. 12. &c. & iii. 12. &c.

III. *Secundò, Concordiæ quid sit; summus ejusdem gradus, atque oppositæ.*

Concordiæ studium est, quo quis pro viribus & quantum in se est, pacem cum omnibus colit. Id commendatur nobis, *Rom.* xii. 18. *Heb.* xii. 14. & alibi sæpe. Summus reciprocæ concordiæ gradus est Amicitia, quæ est mutua & manifesta benevolentia, quâ alter alterius

bonum & commodum, ut ſuum ipſius, cupit & procurat. Talis fuit inter Davidem & Jonathanem: & inter bonos tantùm reperitur, utpote in virtute fundamentum habens. Huic virtuti adverſatur partim contentioſitas & inimicitia, quæ, cùm eſt occulta, dicitur Simultas; partim turpis in malo concordia, qualis eſt inter latrones.

IV. *Quid ſit Beneficentia, & circa quæ verſetur.*

Beneficentia eſt virtus, quâ quis aliena commoda, ad quæ juſtitiæ civilis legibus præciſe non tenetur, curat & promovet. Eaque verſatur partim circa danda beneficia, partim circa reddenda, quarum illa Liberalitas, hæc verò Gratitudo appellatur. Liberalitas eſt virtus quæ in beneficiis dandis modum debitum ſervat.

V. *Quot modis alteri beneficium conferri poſſit; & quænam in liberalitate exercendâ attendi debeant.*

Duobus modis poteſt alteri beneficium conferri, nempe vel operâ, vel pecuniâ. Operæ autem nomine non tantùm labor pro alio ſuſceptus, ſed & quælibet actio, quæ illi prodeſſe poteſt præter pecuniæ largitionem, intelligitur. Et quamvis hoc non ita vulgò liberalitatis nomine venire ſolet, tamen nonnunquam etiam dicimus aliquem eſſe laboris ſui & operæ liberalem, vel prodigum aut parcum. Sub pecuniâ verò, & nummum, & omnes alias res nummo æſtimabiles, quæ donari cuipiam poſſint, comprehendimus. In liberalitate exercendâ attendi debet tum ad dationem pecuniæ, tum ad ejuſdem acceptionem & cuſtodiam; quorum illud eſt primarium liberalitatis officium, hoc verò ſecundarium. In dando, ne ſpectes gloriam propriam aut lucrum, ſed gloriam divinam, & honeſtatem. Modum dandi partim tuæ facultates

tes definiant, partim indigentia, & conjunctio eorum quibus das. Conjuncti autem nobis sunt non tantùm consanguinei & familiares, sed etiam Christianæ fidei domestici; atque erga eos præcipuè, cùm necessitate premuntur, liberalitas exercenda, *Gal.* vi. 10. In accipiendo, ne à quovis, aut ex quâlibet re quæstum facias, nec ita congerendæ aut custodiendæ pecuniæ operam des, ut cœlestium bonorum obliviscaris.

VI. *Magnificentia quid, & quando laudem meretur.* Gradus eminens liberalitatis vocatur Magnificentia, quæ est virtus in magnis largitionibus occupata. Sed nisi magnæ illæ largitiones in res utiles fiant, ut promotionem veræ religionis, pauperum subsidium, & similia, vituperium potiùs quàm laudem merentur.

VII. *Quid Hospitalitas.* Ad liberalitatem etiam pertinet hospitalitas, quâ pauperes peregrini, præsertim ii qui veritatis aut justitiæ causâ exulant, excipiuntur.

VIII. *Gratitudo quid, & quot sint ejus requisita.* Gratitudo est virtus circa reddenda beneficia occupata. Ejusque sunt tria requisita, gratiam habere, agere, & referre: quorum primum animo fit, alterum linguâ, tertium re. Ingratitudo verò est vitium, quod in aliquo horum deficit. Summus ejus gradus est, beneficii accepti oblivisci.

IX. *Vitia beneficentiæ opposita.* Vitia beneficentiæ opposita sunt partim inclementia seu immisericordia illa, quâ aliorum commoda negliguntur; partim avaritia, cujus species sunt sordes, & inhospitalitas; partim denique prodigalitas. Avaritia est vitium, quod in quærendâ & custodiendâ pecuniâ modum excedit, in erogandâ verò deficit. Sufficit

cit autem aliquem in uno ex his tribus peccare, ut avarus dici possit, Prodigalitas est vitium in erogandâ pecuniâ modum excedens. Quamvis autem hæc duo vitia sint contraria, sæpe tamen in uno eodemque homine conspiciuntur.

CAPUT XII.

De Civilitate.

I. *Civilitatem definit, & dividit, primò in Humanitatem; de quâ hic, unà cum oppositis.*

CIvilitas est virtus, quæ modum & decorum in conversatione cum aliis servat. Estque triplex, Humanitas, Modestia & Gravitas. Humanitas, quæ etiam comitas & affabilitas vocatur, est facilitas in conversatione. Ad eam quidam referunt urbanitatem, quæ in jucundo conspicitur. Sed hæc non est virtus moralis, & ab Apostolo sub nomine Εὐτραπελίας damnatur, *Ephes.* v. 4. Attamen Christianorum sermo semper in gratiâ sale conditus esse debet, *Coloss.* iv. 6. Ei opponitur ab unâ parte inhumanitas, quatenus pro morositate accipitur; & promiscua blandities, etiam erga improbos, quorum consortium fugere oportet.

II. *Secundò, in Modestiam; quid hæc sit, in quibus conspiciatur, & quanam ea adversentur.*

Modestia est virtus, quæ honoris cupiditatem moderatur: ita ut nec honores mundanos nimium avidè expetamus, nec quosvis oblatos temerè amplectamur, nec si nobis non contingant, contristemur. Propterea demisse de nobis sentire debemus, & alios non minori honore, quàm nos, dignos judicare. Illa conspicitur tum in sermone & gestu, tum in cultu cor-

corporis & ſupellectile, ubi omnis oſtentatio fugienda eſt. Eam præcipuè nobis exemplum Chriſti commendare debet; de quo vide *Mat.* xi. 29. *Joan.* xiii. 4. &c. *Phil.* ii. 6, 7, 8. Ejus gradus eminens eſt magnanimitas, quâ omnia mundana bona, ut honores & divitias, ſpernimus; & mala iis contraria, contemptum & paupertatem, non metuimus. Vitia modeſtiæ adverſantia ſunt partim nimia animi abjectio, quâ quis præfractè honores, quibus dignus ab aliis judicatur, contemnit & rejicit; partim ſuperbia. Superbia eſt vitium in appetendis & conſectandis honoribus modum excedens. Ea ſub ſe complectitur arrogantiam & jactantiam, quarum illa in animo præcipuè, hæc vero in ſermone ſedem ſuam habet.

III. *Ad quam pertinet Verecundia; quid ſit illa, quale ejus officium, quibus conveniat; ſigna, & oppoſita.*

Ad modeſtiam pertinet verecundia, quæ eſt virtus quæ decorum in pudendo ſervat. Ejus officium eſt vereri infamiam, quæ ſemper delicta comitari ſolet. Illa convenit quidem omni ætati, ſed præcipuum tamen eſt ornamentum juventûs & ſenûs mulebris. Signa ejus ſunt demiſſio oculorum, & faciei rubor. Ei oppoſita ſunt ab unâ parte ruſticus pudor, cùm aliquem pudet etiam rei honeſtæ: ab aliâ verò impudentia, cùm quis omnium hominum de ſe judicia contemnit, & nullo malefactorum pudore tenetur. Eique eſt dux ad omnia ſcelera, & profligati animi indolum.

IV. *Tertio, in Gravitatem, tam habitûs, quam geſtûs & ſermonis.*

Gravitas eſt virtus externum corporis habitum, geſtum, & ſermonem, ad decorum dignitatem ſtatui & officio cujuſque convenientem, componens. Ea decet omnem ætatem, ſed præ-

præcipuè senilem. Gravitas habitûs & gestuum requirit, ut moribus simus elegantibus & munditiem in vestibus corporisque cultu sectemur, sed absque luxu. Idque videtur indicare Paulus, cum requirit in Episcopo, ut sit κόσμιος ornatus, 1 *Tim.* iii. 2. Gravitas in sermone requirit, ut nullus sermo ex ore nostro prodeat, qui non tendat ad ædificationem eorum, qui eum audiunt. In excessu opponitur huic virtuti, fastus & nimia severitas; in defectu verò levitas. Levitas autem conspicitur in choreis, item lusibus, & jocis intempestivis.

V. *Sermonis virtus alia, veracitas; ejusdem munus, & ejus partes.*

Præcipua sermonis virtus est veracitas, quam sequitur ordine taciturnitas. Veracitas est virtus, quâ quis studet dicere id quod res est. Ejus est, sermonem cum intellectu & intellectum cum rebus conformare; quorum illud est simpliciter viri boni, hoc vero eruditi & prudentis. Cum veracitas ad promissa refertur, maximè si juramento sint confirmata, dicitur fides aut fidelitas. Ei opponitur mendacium ompesque ejus species; quales sunt perfidia, assentatio, calumnia & similes. Omne genus mendacii studiosè est fugiendum, sed præcipuè quod cum alterius detrimento conjunctum est, in quo duplex est vitium.

VI. *Alia verò Taciturnitas, cujus excessus & defectus.*

Taciturnitas, quæ docet id tacere, quod tacendum est. Id autem tacendum est, quod evulgatum nobis aut aliis noceret. Ejus excessus est garrulitas, cum quis secreta effutit, aut inutilia & intempestiva loquitur. In defectu nimium silentium, cum quis ne tempestivè quidem, & cum aliis prodesse potest, loqui vult.

CAP. XIII.

De probitate, quæ nos ipsos spectat.

I. *Probitas nosmet-ipsos spectans, est tum fortitudo:*

HActenus de probitate ad alios homines relatâ; sequitur ea, quæ nos ipsos spectat. Ea est tum fortitudo, tum temperantia. Fortitudo est virtus, quæ modum servat in periculis & doloribus. Inter pericula autem & dolores eminent qui in morte pulcherrimâ subeundi sunt. Mors verò pulcherrima vulgò Ethnicis & mundanis habetur, quæ in bello & pro patriâ pugnando contingit. Sed Christiani melius eam pro tali reputant, quæ pietatis causâ toleratur, qualis est martyrum.

II. *Cujus species duæ:*

Fortitudinis duæ sunt species; alia enim est suscipiens, quæ in periculis adeundis versatur, & dicitur propriè Magnanimitas; alia verò sustinens, quæ in doloribus tolerandis se exerit, & vocatur Patientia. Magnanimitati in excessu opponitur audacia, quâ quis se in pericula temerè conjicit; & in defectu timiditas seu ignavia, quâ quis pericula plus æquo reformidat, & eorum vitandorum causâ, turpe aliquid admittere non dubitat. Patientiæ verò in defectu opponitur impatientia, quâ quis ita mollis est, ut dolores æquo animo tolerare nequeat: in excessu verò nihil ei adversatur, nisi fortè belluinus stupor, quo quis ita in doloribus se gerit, quasi eos non sentiret.

Tem-

III. *Tum Temperantia; quæ occupatur vel in rebus naturalibus, & est,*

Temperantia, latè sumpto vocabulo pro omni abstinentiâ ab illicitis, vel occupatur in rebus naturalibus, vel in fortunæ bonis, quæ vocant. Quæ in rebus naturalibus occupatur, ea moderatur voluptates, & est quadruplex, sobrietas, castitas, diligentia & vigilantia.

IV. *Primò, Sobrietas.*

Sobrietas est temperantia circa voluptates cibi & potûs. Ejus officium est utriusque tum quantitatem, tum qualitatem moderari. Quantitatem quidem ut non plus cibi & potûs sumamus, quàm ad reficiendas vires sufficit. Qualitatem verò, ne delicatiorem vel pretiosiorem cibum aut potum expetamus, sed contenti eo simus, quem valetudinis ratio requirit. Huic virtuti opponitur in excessu ingluvies, quæ est intemperantia in cibo & potu; cujus duæ sunt species, voracitas, quæ peccat in cibo, & ebrietas vel bibacitas, quæ peccat in potu; in defectu nimia abstinentia, quâ vires exhauriuntur, & ineptiores reddimur ad officia vocationis.

V. *Secundò, Castitas.*

Castitas est temperantia in voluptatibus venereis. Ejus regula est, ut nunquam extra legitimi matrimonii cancellos ex usurpentur. Ejus gradus eminens est perpetuus cœlibatus, seu virginitas; ad quam tamen nemo præcisè obligatur, nisi qui speciale donum à Deo ad hoc accepit. Ei opposita est in defectu omnis generis libidò, qualis in scortatione, adulterio, aliisque ejusmodi impuritatibus exercetur. In excessu nulla nimia potest esse castitas, nisi fortè eorum, qui in matrimonio vivunt, & partem suam defraudant.

Dili-

VI. *Tertiò, Diligentia.*

Diligentia, quæ etiam sedulitas dicitur, est virtus quæ quietem & laborem moderatur. Ea requirit ut quantum fieri potest, & valetudinis ratio permittit, nos semper honesto aliquo labore exerceamus. Excessus ejus est immodicus labor seu satagentia, præcipuè in rebus mundanis; defectus, ignavia seu otium, quod est omnium vitiorum mater, cum homines nihil agendo malè agere discant.

VII. *Quartò denique, Vigilantia.*

Vigilantia est virtus somni & vigiliæ moderatrix. Ejus officium est non plus temporis somno impendere, quàm ad recreandas vires diurno labore prostratas requiritur. Ei in excessu opponitur immodica vigilia voluntaria; in defectu verò somnolentia.

VIII. *Vel in fortunæ bonis, ubi duplex est, αὐτάρκειαι;*

Circa fortunæ bona occupantur duæ virtutes, nimirum αὐτάρκειαι, & parsimonia; quæ vulgò quidem sub liberalitate comprehendi solent, sed tamen propriè loquendo, peculiares virtutis species constituunt. Αὐτάρκειαι, quæ sufficientia Latinè potest dici, est virtus quâ quis contentus est suâ sorte, & in bonis quæ Deus ei largitus est, quantumvis exiguis, læto animo acquiescit. Ei non adversatur plura honesto labore parandi studium, sed partim sollicitudo Ethnica, quæ Dei providentiæ diffidens, perpetuo inopiæ metu cruciatur, & insatiabilis habendi cupido; partim fastidium rerum præsentium, quale erat Israëlitarum manna fastidientium.

IX. *& parsimonia.*

Parsimonia est virtus, quæ conservandarum opum studium moderatur. Ejus munus est res proprias custodire, utiliter collocare, vitare sumptus non necessarios, & tamen ubi res postulat,

ſtulat, quantum opus eſt expendere. Finis enim præcipuus quo ſpectat, eſt ſemper habere unde liberalitatem exerceas. Illi eadem ferè quæ liberalitati vitia repugnant, nempe in exceſſu profuſio, & in defectu ſordida tenacitas.

CAP. XIV.

De virtute quorundam ſtatuum particulari.

I. *Virtus quorundam ſtatuum particularis, multiplex.*

HUc uſque de virtute omnium hominum communi; ſupereſt ea, quæ eſt quorundam ſtatuum particularis. Ea eſt multiplex ſecundùm varios hominum in hâc vitâ ſtatus & conditiones.

II. *Alia puerorum, alia juvenum, alia Senum.*

Primò, alia eſt puerorum, alia juvenum, alia ſenum. Pueri, quales ſolent dici uſque ad decimum quartum ætatis annum, propter rationis imbecillitatem, perfectæ virtutis capaces non ſunt; maturè tamen illius præceptis imbuendi ſunt, ut ſtatim à teneris diſcant timere Deum, colere parentes, abſtinere à malo, facere bonum, verecundi eſſe, ſeniores revereri, ruſticitatem in ſermone, geſtibus, & cultu corporis fugere. Juvenes, quantò magis ob affectuum vehementiam lapſibus variis obnoxii ſunt, tantò ſtudioſiùs cavere ſibi debent, necubi impingant; propterea{que} ſenum & peritiorum conſilia libenter audire, reprehenſiones eorum non gravatè ferre, imo pro iis gratias agere, & mo-

modestè erga majores natu se in omnibus gerere. Senes maximè decet gravitas, quæ ipsis auctoritatem & reverentiam apud juniores conciliet, quorum vitam præceptis & exemplo suo regere debent. Utrorumque autem tum senum tum juvenum officia describit Paulus *Tit.* ii. 2. &c.

III. *Alia virorum, alia fœminarum.*

Secundò, alia est virtus virilis sexûs, alia fœminei. Quamvis enim tum viri tum fœminæ operam dare debeant, ut omnibus virtutibus præstent; sunt tamen quædam, quæ his magis quàm illis conveniant, v. g. fortitudo in adversis maximè requiritur in viris; turpe contrà illis est, studiosiores esse culturæ corporis. Sed modestia, verecundia, castitas, peculiaria fœminarum sunt ornamenta.

IV. *Alia cœlibum, alia conjugatorum.*

Tertiò, aliud est virginum seu cœlibum, aliud conjugatorum officium. Virgines & cœlibes, cùm sollicitudinibus domesticis non ita sint distracti ut alii, majori curâ quæ Domini sunt debent quærere; Et si matrimonium inire velint, id facere in Domino, & nonnisi consultis iis sub quorum potestate sunt, 1 *Cor.* vii. 25, & *seq.* Conjugatorum verò est, fidem inter se servare, sibi mutuam benevolentiam reddere, nec se invicem fraudare, 1 *Cor.* vii. 3, 4, 5. In specie verò mariti est uxorem suam diligere tanquam corpus suum, adversùs eam non exacerbari, infirmitates ferre. Uxoris verò, marito suo obedire, & subditam esse tanquam Domino, *Eph.* v. 21, &c. *Col.* iii. 18, 1 *Pet.* iii. 1. *& seq.*

V. *Alia parentum, alia liberorum.*

Quarto, alia requiruntur in parentibus, alia

in

in liberis. Parentum est, liberos suos enutrire in disciplinâ & admonitione Domini, & non eos irritare aut nimis durè tractare, ne animum despondeant, *Eph.* vi. 4. Item iis exemplo virtutis præesse, eos in aliquâ honestâ arte à teneris instituere, quâ possint, subsidio parentum destituti, vitam suam sustentare. Liberorum officium est, parentes suos honorare, id est, cum reverentiâ obedire in omnibus, quæ cum præceptis Dei non pugnant, *Exod.* xx. *Eph.* vi. 1, 2. item gratum iis animum pro acceptis beneficiis exhibere; eos, si opus sit, in necessitatibus sublevando, 1 *Tim.* v. 4, *&c.*

VI. *Alia dominorum, alia servorum.*

Quintò, alia est virtus dominorum, alia servorum. Dominorum est, servis quod justum & æquum est tribuere, minas remittere, seu clementer eos tractare, scientes tàm suum quàm ipsorum dominum esse in cœlis, apud quem non sit acceptio personarum, *Ephes.* vi. 9. *Col.* iv. 1. Servorum est dominis suis parere, non tantùm bonis & æquis, sed etiam iniquis, neque ad oculum servire, quasi hominibus vellent placere, sed ut servi Christi ex animo, 1 *Pet.* ii. 18. *Ephes.* vi. 5, *&c.* item non contradicere, nec eos fraudare, sed omnem fidelitatem exhibere, *Tit.* ii. 9, 10.

VII. *Alia dignitatum magistratuum, alia subditorum.*

Sextò, alia est Magistratuum, alia subditorum. Magistratuum est, uti auctoritate quam à Deo acceperunt ad defensionem bonorum, & terrorem improborum, cum omni tamen clementiâ & moderatione, *Rom.* xiii. 4. 1 *Pet.* ii. 14. Subditorum verò est, magistratibus suis parere in omnibus, quæ bonâ cum conscientiâ facere possunt, tributa eis solvere, honore

honore prosequi, & pro iis Deum orare, *Rom.* xiii. 5. 1 *Pet.* ii. 13. 1 *Tim.* ii. 2.

CAP. XV.

De Beatitudine.

I. *De Beatitudine, altera Ethices parte; quid sub ea intelligatur.*

FUit Aretologia, sequitur Eudæmonologia, quæ est altera Ethices pars de Beatitudine tractans, quatenus est finis, & præmium virtutis. Beatitudinis nomine intelligitur ultimus vitæ humanæ finis, seu summum & perfectissimum hominis bonum. Hæc duo enim æquipollent, cùm ultimus finis & scopus, ad quem homines in omnibus suis actionibus collimant, sit ut summo & perfectissimo bono fruantur.

II. *An detur Beatitudo.*

De beatitudine duo quæri solent, 1. An sit, 2. Quid sit. Prima verò quæstio iterum in duas resolvitur, nimirum, An detur beatitudo, & An in hâc vitâ detur. Ac de priore quidem non videtur esse magna ambigendi causa. Nam datur ultimus vitæ humanæ finis, ergo & summum bonum. Antecedens autem probatur ex eo, quòd sunt intermedii aliqui fines. Si verò sunt intermedii, necessariò aliquis est ultimus; alioqui daretur progressus in infinitum; quod cogitatu absurdum est. Consequentia verò patet ex iis quæ modo dicta sunt de ultimi finis & summi boni æquipollentiâ.

III. *An in hâc vitâ detur.*

Quod ad posteriorem quæstionis partem attinet, An summum bonum detur in hâc vitâ, respondeo per distinctionem. Bonorum enim quæ

quæ homini in hâc vitâ contingere possint, oportet aliquod esse summum, quod cætera omnia infra se relinquat. Sed ex eo non sequitur, id esse summum simpliciter & perfectissimum, ita ut in eo nihil desiderari possit. Id autem est, ad quod homines maximè aspirant & contendunt, cùm nihil ipsorum desiderium explere possit, nisi sit omnibus numeris perfectum. Tale autem in hâc vitâ non dari, omnibus constat. Mirum ergo non est, si veteres Philosophi, quibus nulla melioris vitæ revelatio contigit, in tot de summo bono opiniones scissi fuerint. Nihil enim in toto terrarum orbe inveniebant, in quo suus appetitus acquiescere posset. Sed magnâ reprehensione digni sunt Philosophi Christiani, qui cùm agnoscant summum nostrum & perfectissimum bonum, quærendum esse in cœlis, soli terreno in Ethicis suis inhærent. Nisi fortè, quia simulachra & umbras virtutum sæpius pro veris virtutibus amplectuntur, illas tam perfecto bono indignas esse profiteri velint. Verùm cùm nemo summi hujus vitæ boni, quantumvis imperfecti, particeps esse possit, nisi omnibus veris virtutibus sit ornatus, & illæ simul ad cœlestis possessionem nos ducant, malè fecerunt quòd unum ab altero divulserunt, & verè summo bono posthabito, illud quod æquivocè tantùm ita appellatur, sibi elegerunt.

IV. *Quid sit summum bonum.*

Nunc ut ad quæstionem quid sit summum bonum respondeam, dico id non malè expressum esse à Boëthio, cùm beatitudinem definit esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum, lib. 3. de consolat. prosa. 2. Nam quòd

quòd quidam eum reprehendunt, hâc ratione adducti, quod ſummum bonum unum quid eſſe oporteat, non verò multitudo bonorum, imperitè faciunt; cùm ex iſtâ omnium bonorum aggregatione, unius ſummi boni eſſentia conſtituatur, veluti ex multis conclavibus unicum præſtans palatium.

V. *Quot conditiones in illo requirantur.*

Variæ autem conditiones in illo requiruntur. Primò enim oportet, ut ſummum bonum ſit res, quæ expetatur propter ſe, & non propter aliud, cætera verò propter ipſum. Nam ſi propter aliud expeteretur, illud aliud eſſet melius, ac proinde iſtud non eſſet ſummum. Secundò, ſummum bonum debet explere omnia deſideria, & excludere omnem metum; unde ſequitur, illud permanens & æternum eſſe oportere, cùm alioqui ſemper ejus amittendi metus nos cruciaturus eſſet. Tertiò, oportet ut ſummum bonum contingat ſolis bonis; nam ſi cum ſcelere eſſet conjunctum, non foret ſummum, utpote admixtione mali inquinatum.

VI. *Quòd non conſiſtat in Bonis, quæ vocant, fortunæ; qualis ſunt divitiæ;*

Ad has leges ſi exigantur ea, quæ pro ſummo bono habita ſunt à quibuſdam, nullum eorum eſſe ito nomine dignum apparebit. Bona in tres claſſes diſtinguuntur, alia enim ſunt animi bona, alia corporis, alia fortunæ, quæ ſigillatim nobis conſideranda ſunt. Ut verò à poſtremis incipiam, cùm per bona fortunæ, intelligantur potiſſimùm divitiæ & honores; in neutro horum conſiſtit ſummum bonum. Non in divitiis, nam. 1. Eæ non appetuntur propter ſe, ſed propter aliud; nimirum quia ſunt inſtrumenta, quibus alia bona acquiruntur, ut honores, voluptates; unde hæc plu-

ne fieri divitiis apparet. 2. Ex non explentis omnia desideria,

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Et

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Imo crescentibus divitiis, ordinariè crescit plura habendi cupiditas, & fieri potest, ut qui ditissimus est, ægrotet, & sanitatem omnibus votis appetat; multò minùs excludunt illæ omnem amittendi metum, cùm qui eas possident, perpetuò soleant cruciari metu, ne à furibus aut potentioribus sibi eripiantur, aut incendio pereant; & quamvis hoc non esset, eas tandem in morte deserere cogantur. 3. Divitiæ non tantùm contingunt bonis, sed etiam malis: imo improbi sæpiùs illis abundant quàm probi, quia ut plurimùm scelere parantur. Præterea, sunt vitiorum irritamenta; ut libidinis, contumeliæ, aliorumque. Nihil autem magis à summi boni naturâ alienum esse debet, quàm ut possidentem deteriorem reddat.

VII. *& honorii.*

Neque in honoribus consistit. Nam 1. honores mundani sunt res valdè fluxa & inconstans, adeo ut qui modò, tanquam Deus quispiam, adorabatur, repente omni ignominiæ genere afficiatur, ut videre fuit in Hamane, Sejano, Marchione Ancorensi. 2. Pendent ab aliorum judiciis, & sæpe improborum, aut imperitissimorum, qui laudant quæ vituperium merentur, & contrà vituperant quæ laude digna sunt. Absurdum autem est existimare summum bonum nostrum in aliorum, qui improbi

bi aut imperiti sunt, potestate esse positum. 3. Honores etiam maximi, imo hi supra alios, conjuncti esse solent cum perpetuo metu, & tantùm abest ut animum tranquillare valeant, ut potiùs eum indesinenter agitent & perturbent. Nec possunt delectare eos, qui febri æstuant, vel calculo aut podagrâ cruciantur. 4. Ad honores sæpe scelere pervenitur, & illi homines superbos & arrogantes reddunt; quod à summi boni naturâ maximè abhorret.

VIII. *Neque in Bonis Corporis.* Quod ad bona corporis attinet, qualia sunt pulchritudo, robur, sanitas; non est necesse prolixè ostendere, in iis non esse situm summum bonum, cùm res ipsa contrarium loquatur; siquidem vel fluxa admodùm sunt & caduca; vel sunt malorum occasio & illecebræ, vel denique in iis à brutis homines superantur: quæ omnia, ea tanto nomine indigna reddunt.

IX. *aut ejusdem voluptatibus.* De voluptatibus etiam corporis & sensuum, supersluum est dicere, quas nullus unquam sapiens in veris bonis habuit. Sunt quædam ex his honestiores, & hominibus magis propriæ, ut quæ visu, auditu & olfactu percipiuntur, quarum abusus non ita est turpis. Sed quod ad eas attinet, quæ in gustu & tactu consistunt, præterquàm quòd sunt nobis cum brutis communes, illarum excessus omnino fœdus est, ut quæ corpus & animum corrumpant. Quare nemo nisi amens, in illis beatitudinem collocaverit. Ne Epicurus quidem id fecit, quamvis hoc nomine vulgò malè audiat. Sed indolentiam tantùm sectatus est, quam omnes summi

boni

boni comitem & appendicem esse fatentur.

X. *Neque in Scientiâ, altero Bonorum animi genere.*

Restant animi bona, quæ partim scientia sunt, partim virtus; quarum illa intellectum perficit, hæc verò voluntatem. In scientiâ tamen summum bonum non consistit, quia nulla est perfecta in hoc sæculo scientia, ubi multò plura ignoramus, quàm scimus. Et etiamsi nihil nos fugeret, non explentur tamen omnia hominis desideria. Ne jam dicam, eam cum improbitate conjunctam esse posse, imo superbiam proprio quodam genio parere, dicente Apostolo, *Scientia inflat*, 1 *Cor.* viii. 1.

XI. *Nec absolutè in virtute, tertium altero.*

Videndum igitur, utrùm in virtute positum sit, quod plerique Philosophi senserunt, sicèt, verbis potiùs quàm re discrepantes, alii in illius habitu, alii verò in actione collocarint: cùm istæ duæ sententiæ non sint à se invicem divellendæ, sed potiùs conjungendæ, ut constat ex iis quæ suprà de genere virtutis dixi. Et fatendum est, nihil in rebus humanis esse virtute præstantius, nihil quod propiùs ad summum bonum accedat. Sed tamen, eam non esse bonum absolutè summum, inde apparet, quod aliquis possit excellenti virtute esse præditus, & tamen cum ingentibus malis conflictari, extremâ paupertate, infamiâ, cruciatibus. Adde quòd virtus propter seipsam non expetitur, sed propter aliud, nimirum propter animi tranquillitatem, & voluptatem quæ benefacta comitatur. Unde sequitur illa potiùs esse summum bonum, quàm ipsam. Nam quòd Stoici dixerunt, virtutem sibi ipsi

esse præmium, & sapientem etiam in eculeo esse beatum, voces fuerunt, præterea nihil. Nec his adversatur, quòd Christus dicit, beatos esse mites, pacificos, misericordes, mundos corde, qui esuriunt & sitiunt justitiam, *Matth.* v. Num voce beati, non intelligit absolutam & omnibus numeris perfectam beatitudinem, quasi fieri non posset, ut quis his virtutibus præditus, in mundo sit miser; cùm Paulus disertè profiteatur, pios fore omnium hominum miserrimos, si in hâc vitâ tantùm in Christum sperarent, nullâque secutura esset mortuorum resurrectio, 1 *Cor.* xv. 19. Sed misericordes, pacificos, mundos corde, &c. ideò beatos vocat, quia talibus parata est cœlestis vitæ beatitudo. Spe igitur sunt beati potiùs quàm reipsâ, sicut Apostolus dicit, nos spe salvos esse factos, *Rom.* viii. 24.

XII. *Utrùm duplex sit vitæ futuræ summum bonum.*

Nunc quod ad futuræ vitæ summum bonum attinet, Scholastici id vulgò duplex faciunt, unum objectivum, quod est Deus ipse, alterum verò formale, quod est Dei fruitio. Sed impropria valdè est hæc distinctio. Nam dicere Deum esse nostrum summum bonum objectivum, aliud non est, quàm facere Deum illius objectum. Si autem Deus sit objectum summi boni, non est ipse illud summum bonum, cùm aliud sit objectum, aliud res quæ circa objectum versatur. Sic ergo loqui, perinde est, ac si quis diceret, colorem esse visum objectivum, vel sonum auditum objectivum, quia visûs objectum est color, auditûs verò sonus. Præterea, Deo ipso nemo frui potest, sed tantùm bonis ab eo procedentibus; quorum

quorum plenitudinem beati in æternum in futurâ vitâ possidebunt, ubi neque malum ullum amplius erit, nec malij metus; & Deus omnia, quæ gaudium nostrum perfectum reddere possunt, cumulatissimè largietur. Ei sit honor, & gloria in secula, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

FINIS.